# CAESARIS AVGVSTI
# INDEX RERVM A SE GESTARVM

SIVE

## MONVMENTVM ANCYRANVM.

EX RELIQVIIS GRAECAE INTERPRETATIONIS

RESTITVIT

IOANNES FRANZIVS

COMMENTARIO PERPETVO

INSTRVXIT

A. W. ZVMPTIVS.

BEROLINI

EX LIBRARIA G. REIMERI.

MDCCCXLV.

---

TYPIS ACADEMICIS.

# PRAEFATIO.

Augusto Imperatore defuncto a. u. c. 767, die XIX mensis Augusti, „*testamentum L. Planco C. Silio Cos. tertio Nonas Aprilis factum ab eo ac duobus codicibus partim ipsius, partim libertorum Polybii et Hilarionis manu scriptum depositumque apud se virgines Vestales cum tribus signatis aeque voluminibus protulerunt. De tribus voluminibus uno mandata de funere suo complexus est: altero indicem rerum a se gestarum, quem vellet incidi in aheneis tabulis, quae ante Mausoleum statuerentur: tertio breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigaliorum residuis.*" Cum his Suetonii (Aug. c. 101) verbis consentit Dio Cassius LVI, 33, nisi quod is alium libellum addit de republica administranda ad Tiberium scriptum. Tertii voluminis, quo breviarium totius imperii continebatur, mentionem facit etiam Tacitus Annal. I, 11, qui Augustum illud sua manu perscripsisse refert. Breviarii pars quaedam superest in Logarico Alexii Comneni, de quo vide Montefalc. Analecta Graeca p. 316. Eius exemplum manu Salmasii egregie scriptum bibliothecae Parisinae illatum esse testatur G. de Sainte-Croix Magaz. encycl. IV. T. IV. p. 94. Indicem rerum Augustus scripsit quum annum agebat septuagesimum sextum, paulo ante excessum suum. Vide Tab. VI. vss. 27. 28. Iam cum constet eum commentarios de vita sua inchoasse, quibus res usque ad bellum Cantabricum gestas exposuit (Sueton. Aug. 85), non male G. de Sainte-Croix (Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XLVII. p. 87) coniecit, indice illo Augustum voluisse quodammodo commentarios supplere suos. Utut est, index rerum in duabus pilis aheneis Romae ante Mausoleum positis incisus est, qui ut aetatem ferret, coelestes honores Augusto habiti effecerunt. Nam,

ut bene Schoepflinus (Comment. hist. et crit. 1741), „*posteaquam omnes dignitatum civilium titulos exhausissent, ad coelestes, quibus nihil dari sublimius potest, progressi sunt; populusque Romanus ipsam quoque principis mortem assentatione sua praecurrens tribuit nonnunquam vivis, quod mortuis heroibus antea fuerat denegatum.*" Augustus quidem, quamdiu vixit, in urbe honorem divinum pertinacissime recusavit neque in provinciis permisit ut templum sibi statueretur nisi communi suo urbisque Romae nomine (Sueton. Aug. 52). Hoc primum institutum est Pergami ab Asianis a. u. c. 725. (Tacit. Annal. IV, 37. Dio Cass. LI, 20. cf. Eckhel. D. N. T. VI. p. 101); quod exemplum deinceps secuti plures sunt et in Asia et in ceteris provinciis, ut Mylasenses (Corp. Inscr. Graec. Vol. II. n. 2696), Cymaei (ibid. n. 3524), Nysaeenses (ibid. n. 2943), Cyziceni (Tacit. Annal. IV, 36. Dio Cass. LVII, 24), Ancyrani, Athenienses (Corp. Inscr. Gr. Vol. I. n. 478), Lugdunenses, alii (conf. Eckhel. D. N. T. VI. p. 101. 125. 135).

Templa Augusti in urbibus Asiae Καισαρεῖα s. Αὐγουστεῖα vocabantur, quam in rem eximiae inscriptionis fragmentum extat Eumeniae in Phrygia repertum (vide Hamilton. Research. in As. min. T. II. n. 367), quod editum a nobis in Corp. Inscr. Gr. Vol. III. n. 3902. *b* hoc loco litteris minusculis repetere consentaneum est:

\- - - - - - - - - - - - - - -

*πρὸ ἐννέα Καλανδῶν] τῶν Ὀκτωβρίων γενεθλίου ἡμέρας Καίσαρο[ς· ἐπεὶ] δὲ [ἐ]ψηφισμέ[ν]ον [ἐστὶν εὐχαριστῆσαι τῷ τὰς μ]ε[γ]ίστας εὑρόντι τειμὰς ὑπὲρ Καίσαρος, δεδόσθαι Μαξίμῳ τῷ ἀνθυπάτῳ ὀν[ομαστ]εὶ ἀναγορεύεσθαι ἐν τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι τῷ ἐν Περγάμῳ τῶν Ῥωμαίων Σεβαστῶν, ὅτι στεφανοῖ [ἡ] Ἀσία Παῦλον Φάβιον Μάξιμον εὐσεβέστατα παρευρόντα τὰς εἰς Καίσαρα τειμάς, ὡσαύτως δὲ ἀναγορεύεσθαι καὶ ἐν τοῖς ἀγομένοις κατὰ πόλιν ἀγῶσι τῶν Καισαρήων. ἀναγραφῆναι δὲ τὸ δελτογράφημα τοῦ ἀνθυπάτου καὶ τὸ ψήφισμα τῆς Ἀσίας ἐν στήλλῃ λευκολίθῳ - - - καὶ τεθῆναι ἐν τῷ τῆς Ῥώμης καὶ τοῦ Σεβαστοῦ τεμένει. προνοῆσαι δὲ καὶ τοὺς καθ' ἔτος [ἱερεῖς] ἑκάστους, ὅπως ἐν ταῖς ἀφηγουμέναις τῶν διοικήσεων πόλεσιν ἐν στήλλαις λευκολίθοις ἐνχαρα[χ]θῇ τό τε δελτογράφημα τὸ Μαξίμου καὶ τὸ τῆς Ἀσίας ψήφισμα, αὗταί τε αἱ στῆλλαι τεθῶσιν ἐν τοῖς Καισαρήοις.*

Est exitus decreti ab Asianis facti in honorem Pauli Fabii Maximi proconsulis, qui, ut videtur, urbibus Asiae auctor fuit diei natalis Augusti

rite concelebrandi. Decretum, cuius initium fere fuit: Ἔδοξε τοῖς ἐν Ἀσίᾳ (vel ἐπὶ τῆς Ἀσίας) Ἕλλησιν cet., antecessit Maximi libellus (δελτογράφημα) de instituendis honoribus Augusti. Est autem posterius anno u. c. 743 (a. Chr. 11), quo anno Maximus consul fuit. Is mox videtur proconsulatu Asiae auctus esse. Eundem antea Cypri fuisse proconsulem praetoria dignitate coniicitur Corp. Inscr. Gr. T. II. p. 2629. Sed nostro loco haud dubie proconsul Asiae intelligendus est, qui consularis fuit, non praetorius. Itaque templum Augusti Pergamenum memoratur vs. 9. eiusque templa in diversis Asiae urbibus extructa vs. 13. Idem templum Pergamenum quin intelligendum sit in loco Iosephi Antiq. Iud. XVI, 6, dubitari non potest. Recteque Chishullus (Ant. Asiat. p. 166.), qui aliud atque Pergamenum intelligi posse negavit.

Iam Ancyranis occasionem templi Augusto extruendi sors Galatiae dederat. Quippe Amynta rege extincto Augustus a. u. c. 729 Galatiam in formam provinciae redactam M. Lollio pro praetore administrandam tradidit (Dio Cass. LIII, 26. Strab. p. 567. Appian. Mithrid. 118. Eutrop. VII, 5). Ex quo cum urbes primariae Galatiae, Ancyra, Pessinus, Tavium, impetraverunt, ut de Augusto denominarentur Σεβασταί (vide Fünf Inschr. und fünf Städte in Kleinasien p. 22), tum commune Galatarum sacerdotium templi Augusto Ancyrae in metropoli Galatiae extructi sibi vindicavit. Cuius rei testis inscriptio est in facie antae sinistrae Augustei incisa (Corp. Inscr. Gr. Vol. III. n. 4039):

ΓΑΛΑΤΩΝ[Τ]Ο[ΚΟΙΝΟΝ
Ι Ε]ΡΑΣΑΜΕΝΟΝ
ΘΕΩΙΣΕΒΑΣΤΩΙ
ΚΑΙΘΕΑΙΡΩΜΗΙ

Ceterum sero hoc templum dedicatum videtur. Nam cum ludi, quorum recensus continetur iis, quae inscriptioni illi subiecta sunt, quinquennales esse videantur (cf. Sueton. Aug. 59), statim secundis quae acta sunt sollemnibus statuae dedicantur Tiberii Caesaris et Iuliae Augustae (vss. 24. 25. 26). Ex quo sequitur sollemnia haec post Augusti obitum celebrata esse, quae si anno primo Tiberii Imp. acta coniicias, templum a. u. c. 763 dedicatum fuerit quinque annis ante decessum Augusti.

Huius igitur templi in vestibuli parietibus, qui etiamnunc supersunt, post mortem Augusti index rerum ex pilis aheneis Romae positis transcriptus columnis sex incisus est, quarum tres priores intrantibus a laeva sunt, reliquae a dextra. Diserteque Hamiltonus (Research. in As. min. T. I. p. 420 sq.) docet indicem Augusti in antarum interiore parte esse incisum. Introitum templi ita descripsit Tournefortus Itin. Orient. epist. XXI: „*Vous jugerez, Monseigneur, de la beauté de cet édifice par le dessein que vous m'avez ordonné d'en faire graver. Il étoit tout de marbre blanc à gros quartiers: et les encoignures du vestibule, qui subsiste encore, sont alternativement d'une seule pièce à angle, rentrant en manière d'équerre, dont les côtez ont trois ou quatre pieds de long. Les pierres d'ailleurs sont attachées ensemble par des crampons de cuivre, comme il paroit par les trous où ils étoient enchassez. Les maitresses murailles ont encore* 30 *ou* 35 *pieds de haut. Pour la façade elle est entièrement détruite. Il ne reste plus que la porte par où l'on entroit du vestibule dans la maison. Cette porte qui est quarrée, a* 24 *pieds de haut sur* 9 *pieds* 2 *pouces de largeur. Et ses montans qui sont chacun d'une seule pièce, sont épais de* 2 *pieds* 3 *pouces. C'est a côté de cette porte qui est toute chargée d'ornemens, que l'on grava - - - la vie d'Auguste en beau Latin et en beaux caractères. L'inscription est à trois colomnes à droite et à gauche; mais outre les lettres effacées tout est plein de grands trous semblables à ceux qu'auroient pû faire des boulets de canon. Et ces trous, que les paysans ont fait pour arracher les crampons, ont emporté la moitié des caractères. Les paremens de pierres sont des quarrez barlongs fort propres et d'un pouce de saillie. Sans compter le vestibule, cet édifice est dans oeuvre de* 52 *pieds de long sur* 36 *pieds et demi de large. Il y reste trois fenêtres grillées de marbre à grands carreaux, semblables à ceux de nos fenêtres.*" Delineationem introitus templi ex Tourneforto repetierunt Fabricius Imp. Caes. Aug. tempp. notat. cet. p. 217. et Chishullus in Antiq. Asiat. p. 170. Aliam delineationem nunc videsis ap. Texier. Descript. de l'Asie min. tab. 66.

Inscriptionem s. monumentum vulgo Ancyranum dictum a. 1554. primi in lucem protraxerunt *Antonius Wrantzius* s. *Verantius* Dalmata episcopus Agriensis et *Auger. Gislenius Busbequius*, a Ferdinando Romanorum rege tum ad portam Othomanicam legati. Hac de re Busbequius

in legationis Turcicae epistola I. data Vindobonae Austriae Kal. Sept. MDLIV. haec: „*Constantinopolin veni ad diem XX Ianuarii ibique collegas reperi, quos dixi, Antonium Wrantzium et Franciscum Zay. — Ancyram venimus mansione a Constantinopoli XIX. — Hic pulcherrimam vidimus inscriptionem, et tabularum illarum, quibus indicem rerum a se gestarum complexus est Augustus, exemplum. Id quatenus legi potuit, per nostros homines transcribendum curavimus. Extat incisum aedificii, quod olim fortasse praetorium fuerat, diruti et tecto carentis marmoreis parietibus, ita ut dimidia pars intrantibus ad dextram, dimidia ad sinistram occurrat. Suprema capita fere integra sunt, media lacunis laborare incipiunt. Infima vero clavarum et securium ictibus ita lacerata, ut legi non possint, quod sane rei litterariae non mediocre damnum est a doctis merito deplorandum.*" Hinc nata sunt duo apographa, *Verantianum* et *Busbequianum*, quae tamen vix pro diversis censeri queunt. Lacunis scatet utrumque iisdem, ut cetera menda mittamus. Alterum apographum auctius insequenti saeculo a. 1689. repertum est inter postumas chartas *Danielis Cossonii*, mercatoris Hollandici. Tertium transcripsit *Paulus Lucas*. Quartum est quod *Tournefortus* a. 1701. Chishullo tradidit apographum. Post Tournefortum qui Ancyram templique Augustei rudera invisit Pocockius duo tantum fragmenta transcripsit interpretationis Graecae, de exemplari Latino nihil expromens. Sed Rostanus Massiliensis, qui post Pocockium peregrinatus est, inscriptionem pessime habitam narravit. De eo Hist. de l'Acad. Royale des Inscr. T. XLVII. 1809. p. 91 haec: „*Il a trouvé cette inscription précieuse dans un plus mauvais état qu'elle n'était auparavant: les traces des anciennes lignes, des lettres, des mots entiers, avoient encore disparu. Par exemple dans la seconde table à gauche depuis ces mots,* P. SVLPICIO C. VALGIO CONSVLIBVS, *l'espace de vingt lignes, renfermant des faits essientiels, tels que la paix universelle, les trois clôtures du temple de Janus, la mort de Cajus et de Lucius César, est absolument oblitéré, dans l'exemplaire manuscrit que M. Rostan a transcrit fidèlement sur les lieux et sans avoir aucun égard aux imprimés. Ainsi le temps et la barbarie travaillent de concert à ne rien laisser subsister.*"

Quattuor igitur innotuerunt apographa quae omnia si a prima manu haberemus, certius iudicare de singulorum virtutibus aut vitiis liceret. Nunc autem varia fortuna unumquodque usum est, ut non, quid ubique

datum a transcribente sit, sed quid dederit editor, intelligas. Apographum Verantianum a Fausto Verantio, Antonii nepote, Carolus Clusius, Rom. Imp. archiater, accepit, qui cum Lipsio et Iano Grutero communicavit, testibus Clusii ad Gruterum (vide Baier. Hist. marm. Ancyr. p. 6) et Lipsii ad Clusium epistolis. Idem Leunclavius Clusio acceptum refert. Geminum exemplum Andreas Schottus in Galliis ab ipso Busbequio habuit, tum curiae Isabellae Reginae praefecto.

Itaque exemplum *Busbequianum* primus edidit *A. Schottus* ad Aurel. Victorem, Antwerp. 1579. 8. (Leidae 1670. Traiect. ad Rhen. 1696.), *Verantianum Io. Leunclavius* Pandect. hist. Turc. Francof. 1588. 4. p. 205 sqq. (et 1596. p. 108.). Sequitur *I. Lipsius*, qui accepit a Busbequio et postea a Clusio, in auctar. ad M. Smetii συναγωγὴν inscr. antiq. Lugd. Bat. 1588. fol. Ex Lipsii auctario *Ianus Gruterus* thes. inscr. vett. Heidelb. 1603. fol. p. ccxxx, *Ianus Rutgersius* Var. Lectt. Lugd. Bat. 1618. 4. p. 163, *Casaubonus* ad Sueton. Par. 1606. 4. 1610. 4. Argentor. 1647. 4., editor Aur. Victoris Lugd. Bat. 1670. 8., *Boxhorn.* ad Sueton. Amstel. 1686. 12. (litteris minusculis); *Pitiscus* ad Sueton. 1690. 8., ad Aur. Victorem Traiect. ad Rhen. 1696. 8. additis Lipsii et Casauboni notis, et alii Suetonii editores, in his *Graevius*, Traiect. ad Rhen. 1672. 4., *Babelonius* (ad usum Delphini) Paris. 1684. 4., *Burmannus*, Amstel. 1736. 4. cum Casauboni animadversionibus, *Arntzenius* ad Aur. Victorem Amstel. et Traiect. ad Rhen. 1733. 4. cum Lipsii et Casauboni animadversionibus.

Exemplum *Cossonianum* longe auctius, iterato simul apographo Busbequiano, edidit *Iacob. Gronovius* in memoria Cossoniana, Lugd. Bat. 1695. 4. p. 47 - 138 litteris minusculis cum restitutione et notis. Hinc et Busbequianum et Cossonianum exemplum integrum repetiit *Io. Guil. Baierus* in Hist. marm. Ancyr. Ienae 1703. 4., hoc solum Petiscus ad Suetonium cum notis Lipsii, Casauboni, Gronovii, Leovard. 1715. 4. Atque ex Gronoviana editione emendationes pleraeque ascriptae sunt Gruteri thes. inscr. recuso Amstel. 1707. fol. p. ccxxx. De locis quibusdam monumenti contra Gronovium feliciter commentatus vir doctus est in Clerici (Le Clerc) Biblioth. Selecta T. VIII. Amstel. 1706. p. 327 sqq. Restitutionem Gronovianam ex Busbequiano et Cossoniano apographo compositam repetiit Fabricius Imp. Caes. Augusti temporum notat. cet. Hamb. 1727. 4. p. 218 sqq. additis Lucasiani exempli lectionibus.

Exemplum tertium Cossoniano praestantius edidit sed, ut solet, vitiose Paulus Lucas Voy. dans la Grèce, l'Asie mineure, la Macédoine et l'Afrique. Paris. T. I. c. 16. et mox Amstel. 1714. 12. Hoc Paulum Lucam cum aliis schedis Fabri ab huius vidua emisse, Rev. P. Ierotheum, a. 1706 collegii Capucinorum fratrum Smyrnae praefectum, Sherardo de Fabriano exemplo sciscitanti retulisse narrat Chishullus, iniquus in Paulum Lucam eiusque apographi non recte contemptor.

Exemplum denique *Tournefortianum*, cuius meminit Spanhemius (de praest. num. Amstel. 1717. fol. T. II. p. 361), *Chishullus* qui omnium optimum esse iudicavit, edidit in Antiq. Asiatt. Lond. 1728. fol. p. 165 sqq. *ita quidem, ut versiculi versiculis, lacunae lacunis, mutilata verba mutilatis, ut sancte affirmavit Tournefortus, accuratissime respondeant.* Videtur sane bonum fuisse apographum, in multis tamen iisque difficilioribus locis simillimum, opinor, Lucasiano, quod licet inter excudendum turpiter habitum Chishullus si melius consuluisset, de pluribus locis rectius iudicasset. Omninoque video Chishullum in conferendis diiudicandisque apographis priorum negligentius esse versatum, severiorem illum quidem in castigandis aliorum erroribus, quam in vitandis suis cautiorem. Nihilo vero minus Chishullus explicando huic monumento fructuosiorem, quam priores, operam et impendit et impendere potuit.

Ex Chishullo monumentum deinceps certatim repetierunt Ernestus ad Tacitum, Oberlinus ad Tacitum Vol. II. P. II. 1801. p. 837 sqq. (cum notis ex Chish. excerptis), Wolfius ad Suetonium Vol. II. 1802. (cum Casauboni animadversionibus et notis nonnullis Chishulli), Rupertius ad Livium, Naudet. ad Tacitum cet. Specimen monumenti ex Fabricio et Chishullo nuper dedit Egger. Lat. sermonis vetust. reliquiis selectis, Paris. 1843. p. 340 sqq. Sed ad explicandum monumentum post Chishullum pauci pauca contulerunt; nisi forte huc rettuleris ea, quae G. de Sainte-Croix disseruit de Augusto (Mém. de l'Acad. des Inscr. 1808. T. XLIX. p. 359 sqq.) locos quosdam huius monumenti percensens. Certe Belleius Mém. des Acad. des Inscr. T. XXXVII. 1774. p. 409 citasse contentus nihil ultra ad explanationem faciens addidit; parum profecit etiam G. de Ste-Croix (Magaz. encyclop. 1795. 4. T. IV. p. 92 sq.) usus fragmento interpretationis Graecae a Pocockio Ancyra reportato (conf. Hist. de l'Acad. Royale des Inscr. cet. T. XLVII. 1809.).

Contigit nobis, ut magnam partem monumenti restitueremus cum ex fragmentis interpretationis Graecae, Apolloniae in Pisidia repertis ab Arundello (Monatsbericht d. Kön. Akad. zu Berlin, Juni 1839. p. 102 sqq., de quo Egger. l. c. conferri iubet diarium „l'Institut" inscriptum, a. 1841. p. 119), tum vel maxime ex iis, quae G. I. Hamiltonus Ancyrae reperta edidit in libro „Researches in Asia minor" T. II. 1843. n. 102, quae quidem Hamiltoni fragmenta maximam partem litteris minusculis una cum restitutione exemplaris Latini publicavimus in Diarii archaeologici ab Ed. Gerhardo editi Fasc. I. 1843. n. 2. Eodem fere tempore fragmenta Hamiltoni omnia hinc inde restituta litteris minusculis repetiit Egger l. c. p. 384 sqq.

Ita factum est, ut monumenti Augusti recensendi consilium caperemus additis simul fragmentis interpretationis Graecae, quae supersunt, omnibus. Qua in re ne quid reliqui faceremus, visum est exemplari Latino varietatem lectionis ex apographis Busbequiano, Cossoniano, Lucasiano enotatam subiungere.

In commentario cum primum ita defunctus essem, ut excerptis melioribus quibusdam Casauboni, Gronovii, Chishulli annotationibus meas subiicerem notas, mox A. W. Zumptii, viri amicissimi atque in his litteris versatissimi, industria effecit, ut libenter incepto desisterem eique una cum copiis meis commentarii adornandi provinciam traderem. Qui quam rationem in hoc negotio secutus sit, ipse hac, quae subiuncta est, disputatione exposuit.

Casu quodam hic liber duos accepit auctores, cum consilium eius edendi profectum esset ab uno. Nam Io. Franzius, vir et meo et communium litterarum nomine mihi carissimus, cum abhinc triennium ferme nobilissimam hanc inscriptionem, qua Caesaris Augusti res gestae continentur, ex Graecae interpretationis reliquiis restitutam denuo edere decrevisset, ut etiam interpretatione aliqua celeberrimo antiquitatis monumento consuleret, ex commentario Edmundi Chishulli priorumque editorum notis ea, quae viderentur, excerpere, varietatem lectionis ex eorum exemplis, qui ante Chishullum lapidem ipsum descripserant, enotare, suas denique animadversiones passim et ad res illustrandas et ad contextum Latinum recognoscendum pertinentes addere coeperat. Ita affectam operam ante hos octo menses ad me detulit, ut, si quid invenissem, ei, quam ipse confecerat, brevi annotationi, adiicerem. Atque ego, cum omnes inscriptiones Latinas summa cupiditate persequi soleam, ut praestantissimum clarissimi imperatoris monumentum accepi, continuo incredibili incensus sum cupiditate exempli Latini, quantum meo ingenio et doctrina fieri poterat, restituendi et explicandi. Qua in opera quo magis processi, eo magis eam, quae instituta erat, rationem non sine magno incommodo teneri posse intellexi. Quamquam enim longe absum ab eorum opinione, qui omne hoc genus commentariorum ex multis multorum notis concinnatorum reprehendant et ut putidum et inelegans spernant, aliam tamen viam in libro studiosae iuventutis usui destinato, aliam in hoc, qui viris doctis scriptus sit, ingrediendam esse censeo. Quare cum in hoc, si non totos priorum commentarios, at quas selegissem notas, integras exhibendas esse viderem, Chishulli commentarium nequaquam eiusmodi esse inveni, quem, etiam ubi erret, legere intersit: totam autem eius annotationem, in qua multa sunt nobis nunc aut inutilia aut iniucunda, adiicere parum conveniebat cum consilio libri nostri, in quo imprimis brevitati consulendum esse videretur. Abiectis igitur priorum editorum notis, quas quia nec omnes nec aliquas integras recipere poteram, omnino recipere nolebam, ipse composui novum

commentarium, quo omnia, quae aut ad contextum Latinum constituendum aut ad ea, quae narrantur, illustranda pertinere viderentur, exposui.

Ac critica quidem pars huius operae in ea re posita est, ut, quid supersit, ex apographis constituatur. Apographa autem habemus quattuor, Busbequianum, Cossonianum, Pauli Lucae, Tournefortianum. Priora duo admodum mendosa sunt et lacunosa nec multum conferunt ad emendandum contextum, nisi quod confirmant nonnunquam ea, quae in ceteris traduntur: versus quidem in iis nulli sunt descripti, sed continua serie totae tabulae ponuntur, ut secundum ea nihil certe, nihil recte suppleri possit. Hoc ut fieri posset, praestitit primum Paulus Lucas, qui cum iussu Ludovici quarti decimi, Gallorum regis, inde ab anno 1704 in Asia itinera institueret, ubi Ancyram pervenit, magnas molestias pertulit ipsiusque vitae periculum saepius subiit, ut nobile monumentum Ancyranum, quanta diligentia fieri posset, describeret. Sic enim ei Parisiis abeunti mandatum erat. Vide eius itinera Gallice scripta (Amstelod. 1714.) Vol. I. p. 108. Neque enim verum videtur esse, quod Chishull. in Antiquit. Asiat. p. 171 criminatur, Paulum Lucam non ipsum monumentum illud vidisse, sed exemplum a Fabro, mercatore Gallico, acceptum pro suo venditasse. Quis enim tam impudenter mentiatur, ut multa dicat de loco, ubi monumentum inveniatur, de tempore, quod describendo consumpserit, narret, de labore denique ipso describendi plurimum queratur, si ipse non viderit nec descripserit? Quare, ut homini de litteris hac quidem in re bene merito gratiam debitam restituerem, expulso Fabriano exemplo, quod Chishullus induxerat, Pauli Lucae ubique induxi. Ne hoc quidem Chishullo fidem Lucae arguenti concedo, exemplum illius interpolatum et suspectum esse, a qua sententia ita absum, ut id longe utilius esse existimem quam Tournefortianum, quale Chishullus expressit. Hoc quidem facile credo, Paulum Lucam fuisse imperitum inscriptionum, item si velis, parum peritum antiquitatis, ut emendare et intelligere non posset, quae describebat: verum ea ipsa res magnam nunc habet utilitatem. Nimis enim saepe fit, ut homines peritiores, iidemque in talibus rebus minus exercitati, dum iudicium oculos occupat, ea in lapidibus legere sibi videantur, quae non scripta sunt, sed ipsi fingunt. Tale nihil apud Paulum Lucam invenias, qui religiosissima fide, quicquid oculis dignoscere poterat, excipiebat: qua in re peccavit ille quidem saepe, sed

ita, ut qui peritus sit, mendis sublatis verum invenire possit, cum contrario vitio, si quis ea scribat, quae legere sibi visus sit, non viderit, confundamur et in maximos errores inducamur. Eademque ratione, qua in monumento Ancyrano versatus est, P. Lucas in aliis inscriptionibus Latinis (nam de Graecis, quas exhibet, nihil hoc loco dicere attinet) describendis versatus est. Ut rationem eius breviter insigni exemplo demonstrem, ex octo fere Latinis, quas habet, eam afferam, quae maxime memorabilis est, qua una commemoratio magistratus coloniae Philippensis continetur. Inventa autem est in oppidulo hodierno Drame prope veterem urbem Philippos, et sic Vol. I. p. 200 et 316 a P. Luca exhibetur:

CVIBIVS.C.FILVOL.DAPHNVS
SORN.DECHONAN.V.M.IX.H.SE.
CVIBIVS.CFILVOL.FLORVS.DEC.
IIVIR.ET.MVNERVRIVS.PHILIP-
PIS.FIL.KARIS.SΓC.

Ex eo correctam comes Bimardus misit Muratorio, qui edidit in novo thesauro inscript. p. 616, 1 (ex eo Orellius in collectione sua n. 3746), sed non satis accurate correctam. Fuit enim haec: *C. Vibius C. fil(ius) Vol(tinia tribu) Daphnus orn(amentis) dec(urionatus) hon(oratus) an(norum) v m(ensium) ix h(ic) s(itus) e(st). C. Vibius C. f(ilius) Vol(tinia tribu) Florus dec(urio) II vir et munerarius Philippis fil(io) karis(simo) f(aciendum) c(uravit)*, ubi dum vel Bimardus vel Muratorius extrema scribunt CARISS.C., faciunt, ut titulus satis intelligi nequeat. Nec elegans versuum descriptio, qua Muratorius utitur, apud Paulum Lucam invenitur dubitoque magnopere, num rudis illa descriptio, quam ipse exhibet, cum lapide consentiat.

At in monumento Ancyrano describendo eundem Lucam etiam versuum descriptionem plerumque invenio diligenter observasse. Consentit enim fere cum Chishulliano exemplo, nisi quod duos versus bis ab eo in unum coniungi video in capitum commissuris IV, 20 et VI, 8. Nam II, 12 et IV, 16, ubi dissentit a Chishullo, dubito prope an rectius tradiderit, siquidem in extrema tabula sexta apud Tournefortum vel Chishullum unum totum versum omissum esse luculentissime demonstravi. Sed ipse tamen in constituendo contextu non potui non sequi in dubiis locis versuum de-

scriptionem, qualis apud Chishullum est, quippe qui sanctissime tradat affirmasse sibi Tournefortum, se diligentissime versus eadem ratione, qua in lapide ipso legerentur, descripsisse. Cui credi par est, nisi ubi erroris manifestus teneatur. Idque in versuum quidem descriptione raro fit ut coargui possit. In aliis rebus fit et facilius et longe saepius. Atque in ea re molestissimum est, quod Chishullus artis, quae critica dicitur, parum peritus exemplo Tournefortiano ita usus est, ut, ubi ab eo recederet, non annotaret. Fieri enim vix potest, ut Tournefortus omnia ea, quae ex eius exemplo Chishullus retulit, in lapide legerit. Ut in ipso initio tabulae primae vs. 5 apud Chishullum superesse narratur . . . . TI NATIONE, unde natum est eius supplementum *obstinatione*, quod falsum esse in commentario nostro demonstravimus; recte enim P. Lucas ceterique superesse tradunt . . . . . INATIONE, quod explendum est *dominatione*. Tum in eadem tabula vs. 16 male apud Chishullum, tamquam ita in lapide sit, legitur *excidere*, pro quo longe rectius est apud Lucam *occidere*. Eademque in tabula vs. 20 Chishullus exhibet PECVNIAM.PROPR. . . ., quod cum explet *pecuniam propriam*, nec Latine satis nec recte loquitur; solus Lucas habet PECVNIAM.PROEPR. . . . ., quod certissima coniectura restituimus PRO.AGR*is*. Tum III, 17 P. Lucas lacuna recte notata litteras etiam rectas superstites refert sic . . . O . . . . . NS, unde satis, opinor, probabili emendatione effeci IN.COLONIS, at apud Chishullum lacuna expleta perperam legitur ET.CVOIVIS. Similis est ratio V, 52; VI, 5 et 39; IV, 48. Haec et talia cum difficile sit dictu uter peccarit Tournefortus an Chishullus, nonnullis tamen locis mota mihi est suspicio, Chishullum, quae a Tourneforto acceperat, nulla annotata varietate mutasse, ut IV, 34 certa coniectura explevi *in spectaculo proprio*, eiusque lectionis vestigia apparent apud Lucam . . . . . VLO.PR. . . . ., Chishullum quae superesse scribit . . . . VLA.PRO. . . . ., ita apud Tournefortum invenisse vix mihi persuadere possum.

Verum utut hoc est, illud apparet non recte Chishullianum exemplum tamquam optimum celebrari et Lucasianum prae eo sperni. Ac dubito nunc, an I, 14, loco difficillimo, ubi Lucas dissentit a Chishullo, illi potius quam huic credere debuerim. Quare cum saepe mihi recedendum esset ab Chishullianis, quoniam ex ratione instituta ea tamquam fundamentum toti recensioni subiecta erant varietasque lectionis tria modo re-

liqua exempla, Busbequianum, Cossonianum, Lucasianum complectebatur, in commentario meo, ubicunque reliqui Chishullum, diligenter id annotavi.

Explicatio autem et interpretatio inscriptionis mutilae et lacunosae duabus rebus continetur, primum eo, ut lacunae expleantur, deinde, ut ea, quae vel integra supersunt vel explendo restituta sunt, illustrentur, quae natura ipsa artissime coniuncta sunt. In utroque Chishullum existimo non nimis laudandum esse, quem quae ipse primus explevit, falsa plerumque explere intellexerim, in explicandis iis quae leguntur, longum et amplum commentarium addidisse videam, sed et multis rebus inutilibus refertam et ab eo, quod explicandum erat, saepe aberrantem. Ut illo loco, quo Augustus de spectaculis a se factis narrat, IV, 31 et rursus IV, 43, quibus locis sententiam certissimis coniecturis videmur esse assecuti, incredibilia narrat et a vero longe recedit. At I. F. Gronovium hoc quoque in monumento satis mirari non potui, qui, etsi pessimo exemplo Cossoniano utebatur, plurima tamen, quae apud Chishullum recta sunt, invenit, qui si id exemplum haberet, in quo versuum diligens descriptio esset, totum monumentum restituisset. Quare cum ea quae apud Chishullum sunt, nequaquam omnia ab ipso profecta sint, in commentario meo, quid a quoque primum inventum sit, diligenter enotavi; nam ea, quae in hac editione monumenti huius nova essent, diversa typorum forma oculis ipsis ostentare parum commodum visum est. In altera tamen huius monumenti parte, cuius interpretatio Graeca superest, i. e. imprimis a tab. V, 24 cum nulla amplius comparatio eorum quae quisque praestitisset aut posset aut deberet fieri, quae decessores mei, interpretatione Graeca destituti, expleverant, fere neglexi.

Intelligo autem totam hanc lacunarum explendarum provinciam esse et magnopere lubricam et parum gratiosam. Etenim quam facile fieri potest, ut ipse, dum hoc vel illud dicendum esse putes aut hoc vel illud vocabulum ex litteris superstitibus tibi cognoscere videare, in errores incidas! In id solent continuo quidam invehi, modo timiditatis, modo audaciae incusatores gravissimi. Qui non recuso quin me peccasse dicant, si sua non sibi modo sed aliis etiam probaverint, ne temeritatem mihi exprobrent, vehementer rogo. Cum enim exemplorum, quae ad nos pervenerunt, ea sit ratio, quam supra demonstravi, quis nimis religioni sibi

ducat, non ab integris vocabulis, sed a singulis litteris, in quarum forma dignoscenda oculus non minus, quam iudicium facillime errare potuit, recedere, si ex tota sententiarum continuatione aliquid certa quadam ratione scribendum fuisse sibi persuaserit? Nec in maioribus lacunis is sum, qui verba ipsa praestari posse dicam, in quibus si sententiam assecutus sis, satis praeclare agetur. Ut in tabula II, magnis lacunis lacerata, multa explevi, non quod iis ipsis verbis Augustum usum esse crederem, sed quod nihil aliud dicere potuisse mihi videbatur. Atque hac ratione factum est, ut hic clarissimi imperatoris titulus sepulchralis, in quo antea per plurimos versus continuos quid legeretur, incertum erat, iam ita restitutus sit, ut vix viginti versus incerti sint atque in his ipsis, quae sententia esse debeat, satis probabili coniectura pateat. Quamquam hoc non tam nostrum meritum est, quam interpretationis Graecae auxilium, quae tabulam quintam plus quam dimidiam sextamque prope totam expleat, ut quae sententia fuerit, dubitari nequeat. In verbis quidem constituendis etiam ibi nonnunquam ab Franzio, qui ante me contextum Latinum restituerat, discedendum fuit, quippe cum primus comparatione omnium exemplorum Latinorum uterer. Unde iam recte ipse exitus totius monumenti refici potuit, ita quidem, ut Latina a Graecis vel nihil vel levissime differrent. Nam hoc praecipue in hac parte operae meae tenendum esse putavi, ne recederetur ab interprete Graeco, quem praeter pauca, in quibus oculi magis quam voluntàs dissensisse videantur, religiosissime Latina expressisse intelligerem. Itaque et difficillimo illo loco, VI, 16 sqq., nonnullas litteras in Latinis exemplis traditas quam interpretationem Graecam deserere, et VI, 36 coniectura, quae nonnemini audacior esse videatur, uti malui.

In tertia et reliqua parte commentarii mei, qua ea, quae leguntur aut a me expleta sunt, explicantur, brevitati imprimis studui, ne nimis Augusti verba meis onerarentur, sed satis tamen dixisse videor, ut, quae nova in hoc monumento sint, intelligantur, quae obscuriora, illustrentur. In iis quidem, quae ad urbis Romae topographiam pertinent, satis fere habui, libros, unde plura peti possunt, indicare; nam ut summum de talibus rebus iudicium iis relinquendum esse censeo, qui ipsa loca multa et longa quasi quadam familiaritate cognoverint, ita inutili et incerta loquacitate eos, qui haec legent, tenere nolui. Qua in re molestissima mihi

erat censura illa iniustissima, qua W. A. Beckerus, professor Lipsiensis, auctores doctissimos descriptionis urbis Romae taxat, praesertim cum eo ipso genere doctrinae et argumentorum, quo ille sibi omnia superare videtur, aliquot eius errores tollendos esse et alii docuerint et ipse viderim. Ut de curia et Chalcidico (III, 1) annotationem meam scripseram, antequam L. Urlichsium eo libro, quo Beckeri iniuriam repellit (Römische Topographie in Leipzig, Stuttgardt u. Tübingen 1845), p. 49 vidi ea, quae Bunsenius, vir clarissimus, disputarat, prorsus confirmantem, ut de ara Fortunae Reducis saepius dedicata (II, 27) Beckerum omnino contra morem antiquitatis statuere censeo, ut III, 6 aedes Minervae et Iunonis Reginae et Iovis Libertatis non in colle modo uno Aventino, sed in uno etiam templo fuisse coniicio. Nulla est ratio recta litterarum adiuvandarum, nisi erroribus notatis bona tamen non dissimules aut fiet, ut dum omnia prae te spernas, in maximos ipse errores incidas. Insigne eius generis exemplum est ipse ille Beckerus in altero volumine enchiridii antiquitatum Romanarum p. 207, ubi de tribubus et centuriis veterum Romanorum disputans, cum nihil ei placeat nisi suum, nihil probetur, nisi quod ipse invenerit, eo tandem devenit, ut Ciceronem non modo mediocriter omnis antiquitatis populi Romani peritum fuisse iudicet, sed tribuum et centuriarum rationem parum recte cognovisse statuat. Ita si, ubicunque veterum testimonia intelligere non poterimus, erroris eos accusare et hominem reipublicae peritissimum in ea re, quae maxime ad rempublicam pertinet, ut imperitum, spernere licebit, cito fiet, ut litterae antiquae evertantur.

In commentario autem meo sicubi Io. Franzium, huius operae socium, in ea parte quae est usque ad tab. V, 24 nomino, eas copias dico manu scriptas, quas ex priorum interpretum notis suisque passim adiectis animadversionibus effecerat. Quibus cum uterer prorsus pro meis, cavi diligentissime, ne quid ab illo inventum, non nominato auctore, in meum usum converterem. Ea, quorum interpretatio Graeca superest, Franzius et in Ed. Gerhardi diurn. archaeolog. ann. 1842. n. 2 restituerat et partim in manuscripto suo refecerat: utroque meae commemorationes pertinebunt.

Ita absoluto hoc libro et prope bibliopolae, qui typis describendum curaret, tradito pervenit ad me liber A. E. Eggeri Parisiensis, qui, cum de auctoribus historiae Augusti Imperatoris diceret, totum monumentum Ancyranum cum interpretationis Graecae reliquiis, a se recognitum pe-

culiari appendice addidit (*). Quem virum doctum et interpretatione Graeca et ceteris omnibus praesidiis instructum (magna enim sane industria librorum titulos collegit, in quibus vetera apographa Latina legerentur, ut uti iis posset commodissime, si vellet), mirari tamen satis nequeo, quod non plura recte viderit. In tota enim eius recognitione duas res sane leves recte observatas esse video, primum quod I, 2 scripsit *dominatione*, deinde quod I, 13 praetulit, dubitanter ille quidem, *occidere*; reliqua omnia, quae quidem ipse invenit, non accepit ab aliis prioribus, a vero aberrare intelligo. Neque id tam vitupero, quod decessorum suorum errores non detexit (neque enim potest tantum recognitio praestare), sed illud molestissimum mihi accidit, quod miros quosdam novos errores in contextum Latinum intulit. Quid enim aliud nominem, quod I, 12 scribit *praesentibus civibus peperci*, quod I, 18 habet *praeter alias si quae minores triremes fuerunt*, quod III, 33 *sestertium millia . . . . . impendi*, quasi minus quam deciens Hs Augustus tot militibus dimittendis consumpserit, quod III, 36 ex *Liviae uxoris* consilio aerarium militare institutum esse scribit, quod IV, 47 in proelii navalis spectaculo triginta naves rostratas ait inter se conflixisse *contrariis classibus*, quaeque alia eiusdem generis sunt? Corrumpere illud quidem prope dixeris, non restituere et illustrare. Ac maiorem dubito num utilitatem habeant ea, quae Eggerus in ipso libro suo de hoc indice rerum ab Augusto gestarum disputat p. 31 sqq., quae, ubi ad rerum singularum expositionem pervenit, eum minus recto in rebus historicis iudicio uti demonstrant. Quod autem narrat p. 37, huius monumenti Ancyrani commentarium a se non addi, quia iustus scribi non possit nisi tota Augusti historia denuo constituta et quasi refecta, magis id quidem videtur is facere debuisse, qui omnes historiae Augusti auctores omniaque monumenta examinaret, quam qui unum eius fontem spectaret. Sed tamen nos vel sic, quod ille noluerat, aggressi sumus, partito quidem labore, ut Graeca Franzius meus praestaret, Latina secundum Franzium praestarem ipse; uterqueautem ut opera nostra coniuncta clarissimi Imperatoris monumento elegantissimo ne inutilis fuisse videatur, vehementer cupimus.

---

(*) Titulus libri Gallice scripti hic est: *Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste, par A. E. Egger, professeur suppléant à la faculté des lettres de Paris, maître de conférence à l'école normale. Mémoire couronné en* 1839 *par l'academie des inscriptions et belles-lettres. Paris* 1844.

# TABULA I.

(INTRANTIBUS A LAEVA.)

---

RERVM.GESTARVM.DIVI.AVGVSTI.QVIBVS.ORBEM.TERRARVM.IMPERIO.POPVLI.ROMANI
SVBIECIT.ET.IMPENSARVM.QVAS.IN.REMPVBLICAM.POPVLVMQVE.ROMANVM.FECIT.INCISARVM
IN.DVABVS.AHENEIS.PILIS.QVAE.SVNT.ROMAE.POSITAE.EXEMPLAR.SVBIECTVM

ANNOS.VNDEVIGINTI.NATVS.EXERCITVM.PRIVATO.CONSILIO.ET.PRIVATA.IMPENSA
COMPARAVI.PER.QVEM.REMPVBLICAM.[DOM]INATIONE.FACTIONIS.OPPRESSAM
IN.LIBERTATEM.VINDICAVI.[SEN]ATVS.DECRETIS.HONORIFICIS.IN.[AMPLISSIMVM
ORDINEM.SVM.[PANSA.ET.IRTI]O.CONSVLIBVS.[ADLECTVS.VT.PRAETORIVM.OBTINE
REM.LOCVM.[ATQVE.]IMPERIVM.MIHI.DEDIT.RESPVBLICA.V[TI.PRO.]PRAETORE.SIMVL.CVM
CONSVLIBVS.IR[TIO.ET.PANSA.ESSEM›CVM.]AVTEM.EODEM.ANNO.ME.[SENATVS.POPVLVSQVE
CONSVLEM.CVM.[Q.PEDIO.EDI]DISSET.ET.TRIVMVIRVM.REIPVBLICAE.CONSTITVEN[DAE
QVI.PARENTEM.[CO]NIV[RATI.OCCIDI]S[SENT.OM]N[EI]S.IN.EXILIVM.EXPVLI.IVDICIIS.LEGI
TIMIS.VLTVS.POSTEA.BELLVM.INFERENTIS.REIPVBLICAE.- - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - - - - -
ARMA.TERRA.MARIQVE.[MOVENTES.SIG]NAQVE.TOTO.ORBE.TERRARVM.[INFERENTES.VICI
VICTORQVE.OMNIBVS.[SVPPLICIB]VS.CIVIBVS.PEPERCI.[ET.IN].EXIL[IO.DIVTVRNO.DE
GENTES.QVIBVS.TVTO.[PARCEREM.MALVI.]SERVARE.QVAM.OCCIDERE.[IN.IIS.BELLIS
MILLIA.CIVIVM.ROMA[NORVM.ADACTA.]SACRAMENTO.MEO.FVERVNT.CIRCITER.[QVINGEN
TA.EX.QVIBVS.DEDV[XI.IN.COLONIA]S.AVT.REMISI.IN.MVNICIPIA.SVA.STIPEN[DIS.SOLV
TIS.MILLIA.ALIQVANTO.[PLVRA.QV]AM.TRECENTA.ET.IIS.OMNIBVS.AGROS.A[DSIGNAVI
AVT.PECVNIAM.PRO.[AGRIS.EX.]ME.DEDI›[LONGAS.]NAVES.CEPI.SESCEN[TAS.PRAETER.ALI
AS.SIQVAE.MINORE[S.QVAM.TRIR]EMES.FVERVNT›
BIS.OVANS.TRIVMPHA[VI.TRIS.EGI.CV]RVLIS.TRIVMPHOS.ET.APPELLA[TVS.SVM.VICIENS.ET
SE]MEL.IMPERATOR.[CVMQVE.PLV]RIS.TRIVMPHOS.MIHI.SE[NATVS.DECREVISSET.IIS
AGENDIS.SV]PERSEDI.[ET.TANTVM.LAVR]VS.DEPOSVI.IN.CAPITOLIO.[VOTIS.QVAE.PRO.RE
PVBLICA.IN.Q]VOQVE.BELLO.NVNC[VPARAM.REDDI]TIS.OB.RES.A[VT.DVCTV.MEO.AVT.PER.LEGA
TOS.AVSPICIIS.MEIS.TERRA.MARIQVE.PROSPERE.GESTAS.QV[INQVAGIENS.ET.QVIN
QVIENS.DECREVIT.SENATVS.SVPPLICANDVM.ESSE.DIS.IMMO[RTALIBVS - -
. . . . R.QVO.[EX.]SENATVS.CONSVLTO.SVPPLICATVM.EST.IN.DEO[RVM - - - -
- - - - - - - VO - - - - - - - - VM.REC - - - AVT.R - - - -
- - - AM.TER.DECIENS.[CONSVL.FACTVS.SVM - - - - - -
TRIBVNICI]AE.POTES[TATIS - - - - - - - - - -
- - - ME.IA - - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - -

# TABULA II.

(A LAEVA.)

---

PATRI[C]IORVM.NVMERVM.AVXI.CONSVL.QVINTVM.IVSSV.POPVLI.ET.SENATVS.SENA
TVM.TER.LEGI.ET.IN.CONSVLATV.SEXTO.CENSVM.POPVLI.CONLEGA.M.AGRIPPA.EGI
LVSTRVM.POST.ANNVM.ALTERVM.ET.QVADRAGENSIMVM.FECI.QVO.LVSTRO.CIVI
VM.ROMANORVM.CENSA.SVNT.CAPITA.QVADRAGIENS.CENTVM.MILLIA.ET
SEXAGINTA.TRIA.MILLIA›[ALTERV]M.CONSVLARI.CVM.IMPERIO.LVSTRVM
SOLVS.FECI.[C.]CENSORIN[O.ET.C.]ASINIO.COS.QVO.LVSTRO.CENSA.SVNT
CIVIVM.ROMANORVM.[CAPITA.]QVADRAGIENS.CENTVM.MILLIA.ET.DVCEN
TA.TRIGINTA.TRIA.M[ILLIA›TERTIV]M.CONSVLARI.CVM.IMPERIO.LVSTRVM
CONLEGA.TIB.CA[ESARE.FECI.]SEX.POMPEIO.ET.SEX.APPVLEIO.COS.
QVO.LVSTRO.CE[NSA.SVNT.CIVIVM.RO]MANORVM.CAPITVM.QVADRAGIENS
CENTVM.MI[LLIA.ET.NONA]GINTA.ET.SEPTEM.MILLIA›
LEGIBVS.NOVI[S.LATIS.E]XEMPLA.MAIORVM.EXOLESCENTIA.[REVOCAVI.ET.FVGIENTIA
IAM.EX.NOS[TRA.MEMORIA.]AVITARVM.RERVM.EXEMPLA.IMITANDA.[EDICTIS.ME
IS.PROPOSVI›MAGISTR]ATVS.ET.SACERDOTES.[COMMODIS.ET.DIGNITATE
AVXI.PLEBEM.M]V[L]TIS.[BEN]EF[I]C[IIS.AFFECI.OB.EA.MERITA.SENATVS
DECREVIT.VT.PER.]QVATTVOR.AMPLISSIMA.COLLE[GIA.SACERDOTESQVE.RELI
QVOS.ET.PER.TOTAM.ITAL]IAM.ET.MVNICIPI[ORV]M.VNI[VERSORVM.TEMPLA
SVPPLICARETVR.]APVD.OMNIA.PVLVINARIA.PRO.VALE[TVDINE.MEA.NO
MENQVE.MEVM.INCL]VSVM.EST.IN.SALIARE.CARMEN.ET.SACROSAN
CTVS.IVDICATVS.S]V[M.PRAET]EREA[QVE.]TRIBVNICIA.POTESTAS.MIHI.[CONSVLI
VNDECIMVM.CVM.CN.PI]S[ONE.]ITER[V]M.IN.[PERPETVVM.DELATA.EST›POPVLO
SVMMVM.]SACERDOTIVM.DEFERENTE.MIHI.QVOD.PATER.MEVS.[PROCVRAVIT
SVSCEPI.ID.]SACERDOTIVM.ALIQVOD.POST.ANNOS.EO.MOR[TVO.QVI.POST.PATREM
MEVM.ILLVD.PRO]CVRAVERAT.CVNCTA.EX.ITALIA.[VOTA.OFFERENTIBVS.MVNI
CIPIS.EX.CONSVET]VDINE.QVANTA.ROMAE.NVN[QVAM.ANTE.FACTA.ESSE
NARRANTVR.P.SVLP]ICIO.C.VALGIO.CONSVLIBVS›
ARAM.FORTVNAE.SALVTARIS.PROPE.AE]DIS.HONORIS.ET.VIRTVTIS.AD.POR[T]AM.[CAPENAM
PRO.REDITV.MEO.IN.VRBEM.SE]NATVS.CONSACRAVIT.IN.QVA.PON[TIFICES.ET
SACERDOTES.A]NNIVERSARIVM.SACRIFICIVM.FACERE[NT.OB.SALVTEM.MEAM
CONSERVATAM›PRO.]R[ED]I]T[V.MEO.]IN.VRBEM.EX.[TRANSMARINIS.PROVINCIS
SENATVS.CONSACR]AVIT.[ARAM.FORTVNAE.REDVCI - - - -
ET.QVO.DIE.VRBEM.INTRA]S[SEM.IVSSIT.ESSE.FERIAS - - - -
- - - - - ET.PRIN . . . . . . . A.MIHI - - - - -
- - - - - H]ONOS . . . . [A]RA[M.PACIS.IN.CAMPO.MARTIO
OB.RES.IN.HISPA]NIA.GAL[LIAQVE.PR]OVINCIIS.PROS[PERE.GESTAS.SENATVS
CONSACRAVIT.TIB.NERO]NE.P.QV[INCTILIO.COS.]ARAM[QVE.FORTVNAE.REDVCI
EODEM.ANNO.SENATVS.PRO.]REDITV.MEO.CO[NSACRAVIT.]AD.CAM[PVM.MAR
TIVM.IN.QVA.]MAGISTRATVS.ET.SAC[ERDOTES.PRO.SALVTE.MEA.SACRI
FICIVM.ANNIVERSAR]IVM.[FA]CE[RENT. - - - - - - - -
- - - - - CVSSVM.ESS - - - - - - - - - -
- - - - QVIA.PE]R.TOTVM.I[MPERIVM].POPVLI.ROMANI.[PARTA.ERAT.TERRA
MARIQVE.P]AX›CVM[QVE.AB.VRBE.C]O[NDITA.ANTE.ME.]IA[NVM.QVI]R[INVM.]BIS.OMNINO.CLAVSVM
FVIS]SE.PRODATVR.M[EMORI]AE.TER.ME.PRINCIPE.[SENATVS.C]LAVDENDVM.ESSE.[CENSVIT›
FIL]IO[S.]MEOS.QVOS.SIN[ISTRA.FORTVNA.]MIHI.ERIPVIT.EORVM.[G]AIVM.ET.LVCIVM.CAESAR
ES.[POSTQVAM.VTRVMQVE.CONSVL.IPSE.IN.FORVM.DEDVXI

# TABULA III.

(A LAEVA.)

HONORIS.MEI.CAVSA.SENATVS.POPVLVSQVE.ROMANVS.ANNVM.QVINTVM.ET.DECI MVM.AGENTIS.CONSVLES.DESIGNAVIT.VT.EVM.MAGISTRATVM.INIRENT.POST.QVIN QVENNIVM.ET.EX.EO.DIE.QVO.DEDVCTI.SVNT.IN.FORVM.VT.INTERESSENT.CONSILIIS PVBLICIS.DECREVIT.SENATVS.EQVITES.AVTEM.ROMANI.VNIVERSI.PRINCIPEM IVVENTVTIS.VTR[VM]QV[E.EO]RVM.PAR[MIS.E]T.HASTIS.ARGENTEIS.DONATVM.AP PELLAVERVNT›

PLEBEI.ROMANAE.VIRITIM.[H]S.TRECENOS.NVMERAVI.EX.TESTAMENTO.PATRIS MEI.ET.NOMINE.MEO.QVADRINGENOS.EX.BELLORVM.MANIBIIS.CONSVL QVINTVM.DEDI.ITERVM.AVTEM.IN.CONSVLATV.DECIMO.EX.PATRIMONIO MEO.[H]S.QVADRINGENOS.CONGIARI.VIRITIM.PERNVMERAVI.ET.CONSVL VNDECIMVM.DVODECIM.FRVMENTATIONES.FRVMENTO.PRIVATIM.COEMPTO EMENSVS.SVM.ET.TRIBVNICIA.POTESTATE.DVODECIMVM.QVADRINGENOS NVMMOS.TERTIVM.VIRITIM.DEDI.QVAE.MEA.CONGIARIA.PERVENERVNT AD.HOMI]NVM.MILLIA.NVNQVAM.MINVS.QVINQVAGINTA.ET.DVCENTA› TRIBVNICIAE.POTESTATIS.DVODEVIC[E]NSIMVM.CONSVL.XII.TRECENTIS.ET.VIGINTI MILLIBVS . PLEBEI . VRBANAE . SEXAGENOS . DENARIOS . VIRITIM . DEDI[›] IN.C]O[LO]NIS.MILITVM.MEORVM.CONSVL.QVINTVM.EX.MANIBIIS.VIRITIM MILLIA.NVMMVM.SINGVLA.DEDI.ACCEPERVNT.ID.TRIVMPHALE.CONGIARIVM IN.COLONIS.HOMINVM.CIRCITER.CENTVM.ET.VIGINTI.MILLIA› CONSVL.TER TIVM.DECIMVM.SEXAGENOS.DENARIOS.PLEBEI.QVAE.TVM.FRVMENTVM.PVBLICVM ACCEPERVNT.DEDI.EA.MILLIA.HOMINVM.PAVLO.PLVRA.QVAM.DVCENTA.FVERVNT[›] PECVNIA.[QVAM.PRO.]AGRIS.QVOS.IN.CONSVLATV.MEO.QVARTO.ET.POSTEA.CONSVLIBVS M.CRASSO.ET.]CN.LENTVLO.AVGVRE.ADSIGNAVI.MILITIBVS.SOLVI.MVNICIPIS.EA SESTERTIVM.CIRCITER.SEXSIENS.MILLIENS.FVIT.QVAM.[EX.]COLLATIONIBVS.[PRO PRAED[IS.]NVMERAVI.ET.CIRCITER.BIS.MILLIENS.ET.SESCENTIENS.QVOD.PRO.AGRIS PROVINCIALIBVS.SOLVI› ID.PRIMVS.ET.SOLVS.OMNIVM.QVI.DEDVXERVNT COLONIAS.MILITVM.IN.ITALIA.AVT.IN.PROVINCIIS.AD.MEMORIAM.AETATIS MEAE.FECI.ET.POSTEA.[TIB.]NERON[E.]ET.CN.PISON[E.]CONSVLIBVS.ITEMQVE.C.ANTISTIO ET.D.LAELIO.COS.ET.C.CALVISIO.ET.L.PASIENO.CONSVLIBVS.ET.[C.LENTVLO.ET.M.]MESSALINO CONSVLIBVS.ET.L.CANINIO.ET.Q.FABRICIO.CONSVLIBVS.[VETERANIS.]QVOS.EME RITEIS.STIPENDIS.IN.SVA.MVNICIPIA.[REMISI.]PRAEM[IA.AERE.NV]MERATO PERSOLVI.QVAM.IN.REM.SEST[ERTIVM.CIRCITER.SEXSIENS.]MILL[IENS IMPENDI›

QVATER.PECVNIA.MEA.IVVI.AERARIVM.ITA.VT.SESTERTIVM.MILLIENS.ET QVING[ENTI]ENS.AD.EOS.QVI.PRAEERANT.AERARIO.DETVLERIM.ET.M.[AEMILIO ET.L.ARVNTIO.COS.IN.AERARIVM.MILITARE.QVOD.EX.CONSILIO.[MEO CO[NSTITV]TVM.EST.EX.[QVO.]PRAEMIA.DARENTVR.MILITIBVS.QVI.VI[GINTI STIPENDIA.]EMERVISSENT.HS.MILLIENS.ET.SEPTINGENTI[ENS.TIB.CAESARIS NOMINE.ET.M]EO.DETVLI›[ANNO.QVO.M.CLAVDIVS.ET.L.ARVNTIVS.ET.ANNO EO.QV]O.CN.ET.P.LENTVLVS.[CONS]VLES.FVERVNT.CVM.D[EFI]CERENT.[HORREA.PVBLICA PECVNIAM.]CENTVM.MILLIBVS.HOMINVM.[EX.MEIS.OP]IBVS.[PR]O.FRV[MENTO.DEDI›

# TABULA IV.

(PRIMA A DEXTRA.)

---

CVRIAM.ET.CONTINENS.EI.CHALCIDICVM.TEMPLVMQVE.APOLLINIS.IN
PALATIO.CVM.PORTICIBVS.AEDEM.DIVI.IVLI.LVPERCAL.PORTICVM.AD.CIR
CVM.FLAMINIVM.QVAM.SVM.APPELLARI.PASSVS.EX.NOMINE.EIVS.QVI.PRI
OREM.EODEM.IN.SOLO.FECERAT.OCTAVIAM.PVLVINAR.AD.CIRCVM.MAXIMVM
AEDES.IN.CAPITOLIO.IOVIS.FERETRI.ET.IOVIS.TONANTIS.AEDEM.QVIRINI
AEDES.MINERVAE.ET.IVNONIS.REGINAE.ET.IOVIS.LIBERTATIS.IN.AVENTINO
AEDEM.LARVM.IN.SVMMA.SACRA.VIA.AEDEM.DEVM.PENATIVM.IN.VELIA
AEDEM.IVVENTATIS.AEDEM.MATRIS.MAGNAE.IN.PALATIO.FECI›
CAPITOLIVM.ET.POMPEIVM.THEATRVM.VTRVMQVE.OPVS.IMPENSA.GRANDI.REFECI
SINE.VLLA.INSCRIPTIONE.NOMINIS.MEI› RIVOS.AQVARVM.COMPLVRIBVS.LOCIS
VETVSTATE.LABENTES.REFECI.ET.AQVAM.QVAE.MARCIA.APPELLATVR.DVPLICAVI
FONTE.NOVO.IN.RIVVM.EIVS.IMMISSO› FORVM.IVLIVM.ET.BASILICAM
QVAE.FVIT.INTER.AEDEM.CASTORIS.ET.AEDEM.SATVRNI.COEPTA.PROFLIGATA
QVE.OPERA.A.PATRE.MEO.PERFECI.ET.EANDEM.BASILICAM.CONSVMPTAM.IN
CENDIO.AMPLIATO.EIVS.SOLO.SVB.TITVLO.NOMINIS.FILIORVM.[MEORVM.]INCO
HAVI.ET.SI.VIVVS.NON.PERFECISSEM.PERFICI.AB.HEREDIBVS.[MEIS.IVSSI›
DVO.ET.OCTOGINTA.TEMPLA.DEVM.IN.VRBE.CONSVL.[SEXTVM.EX.DECRETO
S[EN]ATVS.REFECI.NVLLO.PRAETERMISSO.QVOD.[VETVS.]TEMP[LVM.FVISSET
CONSVL.SEPTIMV]M.V[IA]M.[QVAE.FLA]MIN[I]A.A[PPELLATVR.]I[PSE.MEA.PECVNIA
AB.ALIIS.]PRAETER[MISSAM.S]VM[PSI.MV]N[IENDA]M›
PRIVATO.SOLO.[EMPT]O.MARTIS.VLTORIS.TEMPLVM.FORVMQVE.AVGVSTVM.ET
THEATRVM.AD.AEDEM.APOLLINIS.IN.SOLO.MAGNA.EX.PARTE.A.[PRIVATIS
EMPTO.FECI.QVOD.SVB.NOMINE.M.MARCELLI.GENERI.[ME]I.ESSET› DONA.[DE
MANIBIIS.IN.CAPITOLIO.ET.IN.AEDE.DIVI.IVLI.ET.IN.AEDE.APOLLINIS.ET.IN.AE
DE.VESTAE.ET.IN.TEMPLO.MARTIS.VLTORIS.CONSACRAVI.QVAE.MIHI.CONSTI
TERVNT.HS.CIRCITER.MILLIENS› AVRI.CORONARI.PONDO.TRIGINTA.ET.QVIN
QVE.MILLIA.MVNICIPIIS.ET.COLONIS.ITALIAE.CONFERENTIBVS.AD.TRIVMPHOS
MEOS.QVINTVM.CONSVL.REMISI.ET.POSTEA.QVOTIENSCVMQVE.IMPERATOR.AP
PELLATVS.SVM.AVRVM.CORONARIVM.NON.ACCEPI.DECERNENTIBVS.MVNICIPIIS
ET.CO[LO]N[I]S.[ITALIA]E.S[IM]IL[IT]E[R.]ADQVE.ANTEA.DECREVERANT› - - - - -
MV]NVS.GLADIATORIVM.DEDI.MEO.NOMINE.ET.QVINQVIENS.FILIORVM.MEO
RVM.AVT.NEPOTVM.NOMINE.QVIBVS.MVNERIBVS.PVGNAVERVNT.H[OMINVM
CIRCITER.]DECEM.MILLIA.BIS.[AT]H[L]ETARVM.VNDIQVE.ACCI[TORVM.CERTA
MINA.DEDI.IN.SPECTAC]VLO.PRO[PRIO.MEO.]NOMINE.ET.TERTIVM.NEPO[TVM.MEORVM›
LVDOS.]FECI.MEO.NOMINE.QVATER.ALIORVM.AVTEM.M[AGISTRATVVM.ABSENTIVM
AVT.NON.SVFFICIENTI]VM.TER.ET.VICIENS[›IN.COLLE]GIO.XV.VIRORVM.MAGI[STER.AD
LECTVS.EIVS.]COLLEGI.[C]VM.M.AGRIPPA.P[RO.]QV[INDE]CI[M.VIRI]S.C.FVRNIO.C.SILANO.COS.
QVI]N[TOS.]LVDOS.[SAECVLARES.RATIONE.AD.I]D.TEMPVS.[IN]I[TA.]E[X.ORACVLO
[LIBRORVM.SIBYLLINORVM.SVMMA.CVM.CVRA.FECI› VENATIONES.BESTIA]
RVM.AFRICANARVM.MEO.NOMINE.ET.FILIORVM.MEORVM.ET.NEPOTVM.IN.CIR
CO.AVT.IN.FORO.AVT.IN.AMPHITHEATRIS.POPVLO.DEDI.SEXIENS.ET.VICIENS.QVIBVS
CONFECTA.SVNT.BESTIARVM.CIRCITER.TRIA.MILLIA.ET.QVINGENTAE›
NAVALIS.PROELI.SPECTACVLVM.POPVLO.DEDI.TRANS.TIBERIM.IN.QVO.LOCO
NVNC.NEMVS.EST.CAESARVM.CAVATO.[SOLO.IN.]LONGITVDINEM.MILLE
ET.OCTINGENTOS.PEDES.IN.LATITVDINEM.[PEDVM.MILLE.ET.]DVCENT[VM.]QVO.TRI
GINTA.ROSTRATAE.NAVES.TRIREMES.[ET.QVADRIREM]ES.PLVRIS.AVTEM
MINORES.INTER.SE.CONFLIXERVNT.[IN.IIS.]CLASSIBVS.PVGNAVE
RVNT.PRAETER.REMIGES.MILLIA.[HOMINVM.TRI]A.CIRCITER›
IN.TEMPLIS.OMNIVM.CIVITATIVM.[ACHAIAE.]ET.ASIAE.VICTOR.ORNA
MENTA.REPOSVI.QVAE.SPOLIATIS.TEMPLIS.[IS.]CVM.QVO.BELLVM.GESSERAM
PRIVATIM.POSSEDERAT› [MEAE.]STATVAE.PEDESTRES.ET.EQVESTRES.ET.IN
QVADRIGEIS.ARGENTEAE.STETERVNT.IN.VRBE.XXC.CIRCITER.QVAS.IPSE
SVSTVLI.EXQVE.EA.PECVNIA.DONA.AVREA.IN.AEDE.APOLLINIS.MEO.NOMI
NE.ET.ILLORVM.QVI.MIHI.STATVARVM.HONOREM.HABVERVNT.POSVI›

# TABULA V.

(SECUNDA A DEXTRA.)

---

MARE . PACAVI . A . PRAEDONIBVS > EO . BELLO . SERVORVM . QVI . FVG[ERA]NT . A . DO
MINIS.SVIS.ET.ARMA.CONTRA.REMPVBLICAM.TVLERANT.[TRIGI]NTA.FERE.MILLIA.CAPTA
DOMINIS . AD . SVPPLICIVM . SVMENDVM . TRADIDI > IVRAVIT . IN . MEA . VERBA . TOTA
ITALIA.SPONTE.SVA.ET.M[E.PR]O.VICT[ORIA.REIPVBLI]C[AE.]DVCEM.DEPOPOSCIT > IVRA
VERVNT . IN . EADEM . V[ERBA . GAL]LIAE . [HISP]ANIAE . A[FRI]CA . SICILIA . SAR
DINIA . [ILLYRICVM > IVRA]VE[RVNT . IN . EADEM . VERBA . SENA]TORES . PLVRES
QVAM . DCC . [C]N . [DOMITIO . C . SOSIO .] CONSVLIBVS . FACTI . SVNT . AD . EVM . DIEM
QVO . SCRIPTA . SVNT . [HAEC .] - - - - - - - - - - - CIRCITER . CLXX >

OMNIVM . PROVINCIARVM . [POPVLI . ROMANI .] QVIBVS . FINITIMAE . FVERVNT
GENTES . QVAE . N[ONDVM . PARERENT . IMPERIO . NOSTR]O . FINES . AVXI > GALLIAS . ET . HISPA
NIAS . PROVINCIA[S . QVOVSQVE . EAS . ALLVI]T . OCEANVS . A . GADIBVS . AD . OSTI
VM . ALBIS . FLVMINIS . [ET . QVAE . PERTINENT . A . REGI]ONE . EA . QVAE . PROXIMA . EST . HA
DRIANO . MARI . [AD . TVSCVM . COMPOSVI .] NVLLI . GENTI . BELLO . PER . INIVRIAM
INLATO > C[LASSIS . ROMANA .] AB . OSTIO . RHENI . AD . SOLIS . ORIENTIS . RE
GIONEM . VSQVE . AD . [ORBIS . EXTREM]A . NAVIGAVIT . QVO . NEQVE . TERRA . NEQVE
MARI . QVISQVAM . ROMANORVM ANTE . ID . TEMPVS . ADIT > CIMBRIQVE . ET . CHAR[V]DES
ET . SEMNONES . ET . EIVSDEM . TRACTVS . ALII . GERMANORVM . POPVLI . PER . LEGATOS . AMICI
TIAM . MEAM . ET . POPVLI . ROMANI . PETIERVNT > MEO . IVSSV . ET . AVSPICIO . DVCTI . SVNT
DVO .] EXERCITVS . EODEM . FERE . TEMPORE . IN . AETHIOPIAM . ET . IN . A[RAB]IAM . QVAE . A[D
[ID . TEMPVS . A . NVLLO . VNQVAM . AVT . ROMANI . AVT . ALIVS . POPVLI . EXERCITV]
INVI]SAE . SVNT . IN . SICILI[AM .] . . . . SAT . TI . . IN . . ET . H . . . . VS - - - - -
DV . . N . . B - - - - - - - - - - - - - - -
- - - NES . . ABAE - - - - - - - - - - - - - - -

AEGY]P[T]VM . [POPVLI . RO]MA[NI .] AD[IECI . IMPERIO > ARME]NIAM . [MA]IOREM . INTER
FECTO . REGE . EIVS . ARTAX[IA . CV]M . POSSE[M . PROVINCIAM . FACERE .] MA[LVI . MAIORVM
NOSTRORVM . EXEMPLO . REG[NV]M . ID . [AD . TIGRANEM . ARTAVASDIS . FILIVM . NEPO
TEM . TIGRANIS . REGIS . PER . [TIB . NE]RO[NEM . QVI . TV]M . E[RAT . PRIVIGNVS . MEVS . TRANSFERRE >
EA]N[DE]M . GENTEM . POSTEA . I[NSVR]GENTEM . ET . REBELLANTEM . D[OMITAM .] PER . GA
IVM . FILIVM . MEVM . REGI . ARI[OBARZ]A[NI . REGIS . MEDORVM . ARTAVASDIS . FILIO . REGEN
DAM . TRADIDI . ET . POST . E[IVS .] M[ORT]EM . FILIO . EIVS . ARTAVASDI . QVO . [INTERFECTO . TIGRA
NE[M .] QVI . ERAT . EX . REGIO . GENERE . ARMENIORVM . ORIVNDVS . IN . ID . REG[NVM . MISI >] PRO
VINCIAS . OMNIS . QVAE . TRANS . HADRIANVM . MARE . VERGVNT . [AD . ORIENTEM . CYRE
NASQVE . IAM . EX . PARTE . MAGNA . REGIBVS . EAS . POSSIDENTIBVS . E[T . ANTEA . SICILIAM . ET
SARDINIAM . OCCVPATAS . BELLO . SERVILI . RECIPERAVI >

COLONIAS . IN . AFRICA . SICILIA . [MACE]DONIA . VTRAQVE . HISPANIA . [ACHAIA . ASIA . SYRIA
GALLIA . NARBONENSI . PI[SI]DIA . MILITVM . DEDVXI > ITALIA . AVT[EM . COLONI
AS . QVAE . VIVO . ME . CELEBERRIMAE . ET . FREQVENTISSIMAE . FVERVNT . [DVODETRIGINTA
DEDVCTAS . HABET >

SIGNA . MILITARIA . COMPLVRA . [PER . ALI]OS . [DV]CES . AMISSA . DEVICTIS . [HOSTIBVS . RECEPI
EX . HISPANIA . ET . G[ALLIA . ET . A . DALM]ATEIS > PARTHOS . TRIVM . EXERCITVVM . ROMANO
RVM . SPOLIA . ET . SIGNA . RE[DDERE .] MIHI . SVPPLICESQVE . AMICITIAM . POPVLI . ROMANI
PETERE . COEGI . EA . AVTEM . SIGNA . IN . PENETRALI . QVOD . EST . IN . TEMPLO . MARTIS . VL
TORIS . REPOSVI >

PANNONIORVM . GENTES . QVAS . ANTE . ME . PRINCIPEM . POPVLI . ROMANI . EXERCITVS . NVN
QVAM . ADIT . DEVICTAS . PER . TI[B . NERON]EM . QVI . TVM . ERAT . PR[IVIGNVS . MEVS . ET . LEGAT]VS
IMPERIO . POPVLI . ROMANI . SVBIECI . PROTVLIQVE . FINES . IL[LYRICI . AD . ISTRI .] FLVMINIS
RIPAM . CIS .] QVOD . [D]A[COR]V[M . MAGN]VS . EXERCITVS [M]EIS . [AVSPICI]S . PRO[FLIG]A[TVS . EST . EXERCI
TVSQVE . [MEVS .] POS[TEA . D]VC[T]VS . [TRANS . ISTRVM . FLVMEN . DACORVM
GENTES . I[MPERIA . POPVLI . ROMANI . PERFERRE . COEGIT >

AD . ME . EX . IND[IA . REGVM . LEGATIONES . SAEPE . MISSAE . SVNT . NVNQVAM . ANTEA . VISAE
APVD . QV[EM]Q[VAM . ROMANORVM . PRINCIPE]M > NOSTRAM . [AMICITIAM . PETIERVNT
PER . LEGA[TOS .] BASTARNA[E . ET . SCYTHA]E . ET . SAR[MATA]RVM . [CIS . TANAIM . FLVVIVM
TANAIMQVE . VLTRA . RE[GES . ALBANO]RVM[QVE .] REX . ET . HIBER[ORVM . ET . MEDORVM . REGES >

AD . ME . SVPPLICES . CONFVGE[RVNT .] REGES . PARTHORVM . TIRIDA[TES . ET . POSTEA . PHRATES

# TABULA VI.

(TERTIA A DEXTRA.)

---

REGIS.PHRATIS.[FILIVS.]MEDORVM.ARTA[VASDES.REGIS.]A[RIOBARZANIS.FILIVS
REG]ES.BRITANN[ORVM.]DAMNO.BELLA[VNVSQVE].ET.TIM - - - [CIMBR]ORVM
MAELO.MAR[C]OMANORVM.SVEBO.F - - - [AD.ME.REX.]PARTHORVM
PHRATES.ORODIS.FILIVS.FILIOS.SVOS.NEPO[TESQVE.OMNIS.MISIT.]IN.ITALIAM.NON
BELLO.SVPERATVS.SED.AMICITIAM.NOSTRAM.PER.[HAEC.]SVORVM.PIGNORA
PETENS.PLVRIMAEQVE.ALIAE.GENTES.EXPE[RTAE.SVNT.POPVLI.ROM.]FIDEM.ME.PRIN
CIPE.QVIBVS.ANTEA.CVM.POPVLO.ROMANO.[NVLLVM.FVERAT.L]EGATIONVM
ET.AMICITIAE.COMMERCIVM›

A.ME.GENTES.PARTHORVM.ET.MEDORVM.[PETIERVNT.PER.]PRINCIPES.EARVM.GEN
TIVM.REGESQVE.EOS.ACCEPERVNT.PA[RTHI.VONONEM.REGIS.PHRA]TIS.FILIVM
REGIS.ORODIS.NEPOTEM.MEDI.A[RIOBARZANEM.]REGIS.ARTAVASDIS.FI
LIVM.REGIS.ARIOBARZANIS.NEP[OTEM›

IN.CONSVLATV.SEXTO.ET.SEPTIMO.[POSTQVAM.BELLA.CIVILI]A.EXSTINXERAM
PER.CONSENSVM.VNIVERSORVM.[CIVIVM.MIHI.TRADITA]M.REMPVBLICAM
EX.MEA.POTESTATE.IN.SENATV[S.POPVLIQVE.ROMANI.A]RBITRIVM.TRANSTVLI
QVO.PRO.MERITO.MEO.SENA[TVS.CONSVLTO.AVGVSTVS.APPEL]L[AT]V[S.]SVM.ET.LAVREIS
POSTES.AEDIVM.MEARVM.V[INCTAE.SVNT.P]V[BLI]C[E.]SV[PE]R[QVE.EAS.AD
IANVAM.MEAM.E[X.]QV[ERNA.FRONDE.CO]R[O]N[A.CI]V[IC]A.POSI[TA.OB.SERVATOS
CIVE]S.QV[IQVE.ES]SE[T.PE]R.[INSCRIPTIONE]M.[T]E[STIS.MEAE.]VIRTVTIS.CLE
MENTIAE.IVSTITIAE.PIETATIS.]EST.P[OSIT]VS.CLVPE[VS.AVREVS.IN.CVRIA.A
SENATV.POPVLOQVE.R]O[MANO.QVO]D.[QVAMQVAM.DIGNITATE.OMNIBVS
PRAESTAREM.POTESTATEM.TAMEN.NIH]ILO.AMPLIO[REM.HABEREM
QVAM.]CON[L]E[GAE.MEI›

TE]RTIVM.DE[CI]MVM.CONSVLATV[M.ME.GERENTE.SENATVS.ET.EQVE]STER.ORDO
POPVLVS[QVE.]ROMANVS.VNIVERSVS.[ME.APPELLAVIT.PATREM.PAT]RIAE.IDQVE
IN.VESTIBV[LO.A]EDIVM.MEARVM.[I]NSCRIBEN[DVM.CENSVIT.ET.IN.CVRIA.ET.]IN.FORO.AVG[V
STO.SVB.]QVADR[IGI]S.QVAE.MIHI.[EX.]S.C.POS[ITAE.SVNT›SCRIP]SI.HAEC.[CVM
AN]NVM.AGE[BA]M.SEPTVAGENS[IMVM.SEXTVM›

SVMMA.PECVNIAE.QVAM.DEDI[T.IN.AERARIVM.VEL.POPVLO.ROMANO.VEL.DI
MIS]SIS.MILITIBVS.DENARIVM.S[EXSIENS.MILLIENS.FVIT›

OPERA.FECIT.NOVA.AEDEM.MA[RTIS.IOVIS.TONANTIS.ET.FERETRI.APOLLINIS
DIVI.IVLI.QVIRINI.MINERVA[E.IVNONIS.REGINAE.IOVIS.LIBERTATIS
LARVM.DEVM.PENATIVM.IVV[ENTATIS.MATRIS.DEVM.LVPERCAL.PVLVINAR
AD.CIRCVM.CVRIAM.CVM.C[HALCIDICO.FORVM.AVGVSTVM.BASILICAM
IVLIAM.[TH]EATRVM.M.MARCELLI.[NAVMACHIAM.CIRCA.TIBERIM.ET.NEMVS
CAESARVM.[PORTICVS.IN.PALATIO.PORTICVM.AD.CIRCVM.FLAMINIVM›
REFECIT.CAPITO[LIVM.AEDE]SQVE.[S]A[CRAS.OCTOGINTA.DVAS.THEATR]VM.POM
PEI.AQV[ARVM.DVCTVS.VI]AM.[F]LA[MINIAM›INGENS.EST.MAGNITVDO
IMPENS[A]R[VM.QVAS.FECIT.IN.LVDOS.ET.MVNERA.]GLADIATORVM.A[THLETARVMQVE
[ET.PROELIVM.NAVALE.ET.VENATIONES.DONORVM.QVAE.DEDIT.COLONIS.ET.MVNICIPIS]
ITALIAE.OPPIDISQVE.PROVINCIARVM.TER]RAE.MOTV.INCENDIOQVE.CONSVM[PTIS.VEL
AMICIS.SINGVLIS.SENATORIB]VSQVE.QVORVM.CENSVS.EXPLEVIT›

# VARIETAS LECTIONIS.

Fundus lectionis est exemplum Tournefortianum, quale expressit Chishullus. Cum quo quae conferri possunt apographa, sunt Verantianum s. Busbequianum et Cossonianum, a Gronovio composita. A Lucasiano quibus locis discrepet Tournefortianum, non ubique certum, quod Chishullus rationem reddere neglexit. Apographorum menda non omnia referemus; sufficiet in potioribus lectionibus consistere.

Tab. I. vs. 1 Busb. ROMANI, Coss. RO (M supra scr.), Luc. ROM. Ceterum hac voce terminari primus versus videtur. Praescripta tribus versibus absolvit Luc., quattuor Chishullus. Illum secuti sumus. Vs. 5 Coss. Luc. . . . INATIONE, unde Gronov. dedit [*dom*]*inatione*, Busb. ibi nihil nisi puncta; extr. Luc. OPRESSAM. Vs. 6 Luc. VIN. . . . ATVS, Busb. VINDICAVI - - -, Coss. . . . . . TVS; extr. Coss. Luc. HONORI . . . . CISIN, Busb. HONORI FICIS - -, nec quicquam praeterea. Vs. 7 init. Busb. ORDINEMSVVM . . . ., post quod quae sequuntur in hac tabula, desunt omnia; Luc. ORDINEM SVVM . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . O CONSVLIBVS - - - -, Coss. ORDINEMSVM - - - - CONSVLIBVS - - - - - -. Vs. 8 init. Coss. TEM; post LOCVM et post RESPVBLICA maior in Luc. apogr. notata lacuna est, ita quidem, ut post DEDIL (pro DEDIT) hic versus finiatur alteroque comprehendantur reliqua; Cosson. et, ut videtur, Tournef. PRAETORI. Vs. 10 Luc. post CONSVLEM maiorem lacunam signat, ut rursus post REIPVBLI versus finiatur, reliqua alter capiat; Coss. CONSVLEM CVM . . . . . In fine Coss. CONSTITVEN . ., Luc. CONSTITVIN. Vs. 11 Coss. QVIPARENTVM . . . NI . . S . . INEXILIVM cet., Luc. QVI PARENTEM NIV . . . . . . . . . . . . . . . . . NIAS IN EXILIVM cet. Vs. 12 Coss. VET - - POSTEAMECVM (unde Gronovius dederat *veteri iure*); Luc. VLTVS OSTIABILIVM. Vs. 14 Luc. LIA.TERRA . . . . . . MAR . . . . ., tum TOTO IN ORBE. Vs. 15 Luc. ICIORQVE OMNIBVS CIVIBVS PEPERCI EXTI . . . . . (Coss.

..EXIL.....). Vs. 16 extr. Coss. SERVARI QVAM EXCIDERE IN....., Luc. SERVARE QVAM OCCIDEREM.... Vs. 18 Luc. STIPEI.... Vs. 19 Luc. ACROSA..... Vs. 20 Coss. PROPR...DEDI; NAVES CEPI SESCEN...., Luc. PROEPR.....AE DEDI, NAVES CEPI SESCEM.... Vs. 23 init. Coss...MEL. IMPERATOR....RIS cet., Luc. MEL IMPERATO........RIS cet. Vs. 24 Luc. omittit ductus ante DEPOSVI omnes; Coss. - - PER - - - - VS DEPOSVI cet.; unde Gronovius: *semper tantum laurus deposui.* Vs. 25 Luc. non habet NVNC; deinceps habet OPRESSA - - -, ubi reliqui OBRESA. Vs. 26 Coss. OS cet., Luc. EOS AVSPICIS MEIS TERRA SPERE cet. et in fine habet QVE - - - Vs. 27 Coss. QVIENS DECREVIT SENATVS SVP - - - - DVM ESSE - - -, Luc. QVIENS ET CREVIT. NATVS SVPI.... NDVM ESSE DIS IMMO - - - Vs. 28 Coss. QVO SENATV CONSVLTO PVBLICATVM EST FVERE, nec quicquam praeterea ex hac tabula; Luc. .....R QVO.... SENATVS CONSVLTO DVPPLICATVM EST IVDEO.........

Tab. II. vs. 3 sub fin. Busb. FECI LEGI QVO, ubi LEGI ex vs. 2 repetitum videtur. Vs. 4 Busb. CENSITA. Vs. 5 MILLIA abest a Busbeq. Vs. 6 Busb. rursus LEGI addit post FECI, cf. ad vs. 3. Vs. 6 Luc. SOLVS. FECI. ECESORIM. Vs. 10 Luc. QVO LVSTRO CE - - - - - - MANORVM cet., Coss. QVO LVSTRO ET - - - - - - MANORVM, Busb. QVO LVSTRO ROM CAPITVM cet. Vs. 11 Busb. ...IGINTA, Coss. Luc. GINTA. Vs. 12 Coss. TEMPLA p. EXEMPLA. Vs. 13 Busb. EX NOS MVLTARVM cet., Luc. EX NOS - - - - - - - MVLTARVM p. AVITARVM; idem MPIA p. EXEMPLA. Vs. 14 - 45 omittunt Busb. et Coss. Vs. 14 Luc. VTES p. ATVS. Vs. 16 Luc. AMPEISSIMA. COLIE.... Vs. 17 Luc. MVNICIMI.... Vs. 18 Luc. OMINIATVININARIA pro PVLVINARIA. Vs. 19 Luc. SAIIARE et paulo ante ESI pro EST. Vs. 20 Luc. TREA pro EREA. Vs. 21 Luc. MVS. NFITE REM IN - - Vs. 22 Luc. ...DOTIVM. Vs. 24 Luc. CVIAVIRATCVMIAEX ITALIA - - Vs. 25 Luc. VDIN pro VDINE. Vs. 26 Luc. CIO. EVALGIO. Vs. 27 extr. ubi Chish. AD. - ORIAM, Luc. habet ADPOTAM, quae composui. Vs. 28 extr. ubi Chish. PON, Luc. habet PONIT. Vs. 29 Luc. VNIVERSARIVM cet. Vs. 35 Luc. ...OVINCIS. Vs. 37 Luc. REDI..V MEO CO..............AD CAM (Chish. EAM). Vs. 38 Luc. MAGISTRA TVS ET S.C. Vs. 39 Luc. IVMI..C.P - - (Chish. IVM..C..P - - -). Vs. 41 Luc. ROMAN. Vs. 42 Luc. AX CVM PI........O..NAS CEF..R....... BIS cet. Vs. 43 Luc. - - - SE PRODATVR M....AETER ME PRINCIPEM

. . LADENDVM ESSE; Chish. in textu: - SE. PRODATVR. EVM. - - PER. ME. PRINCIPEM - - LAVDENDVM. ESSE; in annotat. praeferens lectionem Luc. necessario; sed ut est in summa prolixitate tacitus, non addit in apogr. Tournef. omissum esse M in PRINCIPEM. Vitium haud dubie est solius apogr. Luc. Vs. 44 init. Luc. . . . . . . . . . IO . . MEOS QVO IVV. . . . IHI cet.

Tab. III. vs. 1 Luc. CAVSSA. Vs. 2 Busb. Coss. Luc. CONSVLIS; deinceps Busb. VTCVM, Coss. VTRVM, Luc. VSVM pro VT EVM. Vs. 3 Busb. Luc. EORVM pro FORVM; Luc. CONSILIS; Busb. omittit ET et habet DVO pro QVO; Coss. DEDVCERVNT. Vs. 4 Luc. DECRAVIT; post quod addunt ET Busb. et Coss. Vs. 5 Luc. . . . . TNTIS pro IVVENTVTIS. Busb. nihil nisi HASTIS . . . . ARGENTEIS DONATVM AP., Coss. IVVENTVTIS ROMANORVM PARM . . . T . . . T HASTIS ARGENTEIS DONATVM AP. Vs. 7 Busb. VIRITIM . . . CENOS cet., Coss. VIRILIATRECENOS cet., Luc. ROM . . . . ANAE VIRITIA . . SIX RECENOS cet. Vs. 8 Luc. QVADRIGENOS et MANIBLIS. Vs. 10. init. Busb. MEO BIS QVADRIN cet., Coss. MEOIISQVADRIGEN cet., Luc. MEOQVADRIGENOS cet. Deinde Busb. VIRITIM ITERVM AEREMERVI cet., Coss. VIRITIMTERNVMERAVI, Luc. VIRITIM PERNVMERVI, ut legerat Perizonius de morte Iudae p. 84. Vs. 11 extr. Busb. PRIVATIM COLVMEIO, Coss. PRIVATIMCOLLIPIO, Luc. PR . . ATIM COLMEIO. Vs. 12 Luc. TRIBVNITIA, tum QVADRIGENOS. Vs. 13 extr. Busb. FRVMENTI pro PERVENERVNT. Vs. 14 init. Busb. . . . . . NVM NVNQVAM cet.; mox Luc. QVINQVAGENTA; Coss. VM MILLIA NVNQVAM, Luc. IVM MILLIA NVNQVAM. Vs. 15 init. Busb. . . . SIA. DVODEVIGINTESIMVM CONSVL TRECENTIS cet., Coss. - - POTESTATIS DVODECIMVM CONSVLATIS TRECENTIS cet., Luc. - - - POTESTATIS DVODEVICINSIMVM CONSVL . . TRECENTIS cet. Vs. 16 Luc. VIGINI . . cet.; Busb. Coss. Luc. PLEBIS pro PLEBEI. Vs. 17 init. Busb. ET QVINIS MILITVM cet., Coss. - - - MILLIVM cet., Luc. . . . O . . NS MILITVM cet.; tum id. MANIBLIS. Vs. 18 init. Coss. SINGVLIS; post Luc. . . VMMVM. Vs. 19 init. Busb. INCOLONIAS, Coss. IN . . . O . . S, Luc. IN CO . . . . S. Vs. 20 Luc. . . . VM . DECIMVM cet.; sed QVARTVM pro QVAE. TVM. Vs. 21 Luc. ACEI . . . . DEDI. Vs. 22 init. Coss. Luc. PECVNIA . . . . . AGRIS (Chish. PECVNIAM - - AGRIS fortasse ex Tournef.). Vs. 23 init. Busb. MARCO ET CN. LENT cet., Coss. - - - CN. LENT cet., Luc. - - - CN. LINT cet.; in fine Busb. Coss. PA p. EA, unde Gronov.

*pa*[*cto*]. Vs. 24 Busb. .... ERTIVM CIRCITER SEXCENSIM.ITINERIS. EMIT.QVAM.ROMANIS, Coss. ...... R...VMSIRCITERMILLENSFVIT QVAM..... OLIANVS.., Luc. - - - R..VM CIRCITER SEX.... SIENS MILLIENSIVLIIQVAM..COLLA..I... (conf. Annotat.). Vs. 25 Busb. ERAE.... NVMERAVI..... QVODPROAGRIS, Coss. PRAED...NVME RAVIETSIRCITERBISMILLEVSETSESCENTIENSQVODPROAGRIS, Luc. PRAED...VMERAVIETC..CITIRBISMILLIENSETSESCENTIENSQVOD PROACRIS. Vs. 26 Busb. VNVS pro IDPRIMVS (Luc. D..PRIMVS); deinde Coss. ..DIVS pro ETSOLVS (Luc. ET....S); mox Coss. QVE EDVXERVNT (Luc. QVI..EDVXERVNT). Vs. 27 Luc. MILLIVM pro MILITVM et extremo ME MORAM.ALLATIS. Vs. 28 Busb. MEAEFECIET POSTEANERONEETCN.PISONE cet., Coss. MEAEFELICIETPOSTEA .....NERONI...CN.PISONI cet., Luc. MEAFETCIETPOSTEANERONI ETCN.PISONI cet.; in fine Busb. ITEMQVE...GANTISSIMO, Coss. VC.C.ANTISTIO, Luc. ITEM...REGENTIS.... Vs. 29 Busb. verba C.CALVISIO usque ad CONSVLIBVS (vs. 30 init.) omittit; extr. Cosson. ETN..M.MESSALA, Luc. hunc versum ita habet: ET.D.LAETIO.COS; ET.IC; CALVISIO.ET.IP; ASIENO.CONSVLIBVS; IH...... MESSALIA. Vs. 30 extr. Busb. ....QVOSEME, Coss. ......OSEMP, Luc. ...... OS EME. Vs. 31 extr. Busb. MVNICIPIA.PRAEM..., Coss. MVNICIP... ...MERATO, Luc. MVNICIS..........IRA......PRATO. Vs. 32 Busb. PERSOLVI.QVAM....INSEST....MILI....., Coss. TERSOLVIQVAM INREMSEST - - - -; Luc. omittit MILL et vs. 33 habet MPENI. Vs. 34 Busb. Luc. MILLIA - - - - Vs. 35 Busb. QVINGENTADED....RAVI AERARIODETVLI......, Coss. QVINQVIENSADEOSOLVIPRAEERANT AERARIODETVLERIMETIN...., Luc. QVINGI....SADEOSVTPRAE RANTAERARIODETVLERIMETMIL... Vs. 36 Busb. nihil nisi QVOD EXCONSILIO - - -; Coss. ETAR.....COSAERARIVM cet., Luc. ETIAR ..VNI..O.COSI..ERARIVM MILLIARE cet. Vs. 37 Busb. nihil nisi MILITIBVSQVIN...., Coss. - - - - PRAEMIADARENTVRMILITIBVSQVI VI - - -, Luc. CO....TVM ES EX....PRAEMIA cet. et postea MILLITIBVS. Vs. 38 Busb. ......MERVISSENT.HS.MIL, nec quicquam praeterea, Coss. ...EMERVISSENTHESMILLIENSETSEPTINGENTI......., Luc. ...EMERVISSENT MILLIENS ET SEPTIN..NTI - - Vs. 39 Busb. ...O.DETVLI...., Coss. ...EODETVLI........CENTVM MILLIBVS,

quae ultimae voces suo loco motae sunt; Luc. - - - - - EO DETVL..... Vs. 40 Busb. . . CN. P. LENTVLO . . . . VLES. FVERVNT. CVM. D . . . . CERENT . . ., Coss. . . CN. ET P. LENTVLE . . . VLES FVERVNT CVM . . CERINT, Luc. ......... O. CN . . P LENTVIE . . . . VLES FVERVNT CVM D . . CERENT. Vs. 41 Busb. . . . CENTVM MILLIBVS HOMINVM ...... O. FRV . .; Coss. nihil, quoniam versum removerat in vs. 39; Luc. .......... CENTVM MILLIBVSH . . . NVI ........ IBVS . . . O . . RV . .

Tab. IV. vs. 1 Busb. Coss. ET, ubi est EI, quod a Gronovio repositum confirmatum est apographo Lucasiano, et ut videtur, Tournefortiano; deinde Coss. Luc. CHALCIDIVM; mox Coss. SIVE p. QVE. Vs. 3 Luc. APIELLARI. Vs. 4 Busb. Coss. OCTAVIANI p. OCTAVIAM. Vs. 6 Busb. MVNDO p. MINERVAE; idem mox pro REGINAE lacunam notat. Vs. 7 extr. Coss. VILLA p. VELIA; Luc. IENATIVM p. PENATIVM. Vs. 8 Busb. MAG. DEIAE p. MAGNAE; Coss. paulo ante IVVENTVTIS. Vs. 9 Busb. SERTORIVM pro CAPITOLIVM. Vs. 10 Luc. RIVOSA. QVARVM et extremo versu LOCIO; Coss. INPLVRIBVS p. CVMPLVRIBVS. Vs. 11 Busb. MARIA, Coss. MARTIA. Vs. 12 Coss. CEN . . . ., ubi FONTE NOVO (Luc. PONTE NOVO); Luc. INMISSO. Vs. 13 init. Coss. IVLI p. FVIT. Vs. 14 extr. Busb. CONSVMMATAM. IN, Coss. CONSVMPTAM IN, Luc. CONSVM . . . . . N. Vs. 15 Busb. lacunam notat pro CENDIO, post TITVLO et post FILIORVM. Ultimo loco etiam Cosson. nihil nisi lacunam notat; Luc. FILIORVM ......... N. Vs. 16 init. Busb. . . . . . VIVVS cet., Coss. NAVI ETSI VIVVS, Luc. CO . . IAVI ETSI VIVVS cet.; deinde Busb. PER FECIAB HAEREDIBVS - -, Coss. PERFECI AB HEREDITA - -, Luc. PER FICI AB HEREDIB .......... Vs. 17 Busb. - - VIRGINEEXEMPLVMDEVM INVRBECONSV - - -, Coss. . . . VINTI OCTOGINTA TEMPLA DEVM IN VRBE CONSVL - - -, Luc. QVO ET OCTOGINTA cet. Vs. 18 Busb. . . . FECI. FLVVIO. PRAETERMISSO. QVOD. TEMP...... ET....., nec quicquam praeterea ex hoc et insequenti versu; Coss. . . . REFECI NVLLO PRAETER MISSO QVOS . . . TEMP . . . ., nec quicquam praeterea ex hoc et insequenti versu; Luc. SBIVATVS REFECI NVLLO PRAETERMISSO QVOD . . TEM ....... Vs. 21 init. Busb. omittit verba PRIVATO — MARTIS; Coss. habet PRIVATOSOLO . . . . MARTISVLT cet., Luc. PRIVATOS . . IOM . . T . . VLT cet. Deinde Luc. omittit FO, pro quo Busb. habet QVO. In fine pro ET Coss. lacunam notat, Luc. ibi nihil habet. Vs. 22 init.

Busb. TEMPLVM APOLLINIS IN SOLO MAGNAM PARTEM . . . ., Coss. . . . . . APOLINISOLO MAGNA . . . . . ., Luc. THEATRVM AB AEDE APOLLINIS IN SOLO MAGNA EX PARTE A - - Vs. 23 init. Coss. PROFECI, deinde GENERISNITESSIT . . DEM . . . (Busb. VENERI . . . . . ., Luc. GENERI . . I ESSE . . DOM . . .). Vs. 24 init. Busb. MANIBVS, Coss. MANIRIS, Luc. MANIRIIS. Vs. 25 Busb. VICTORISCONSECRAVI, Coss. VICTORIS CONSERVAVI, Luc. antea VESTAL, tum VITORIS CONSACRAVI. Vs. 26 init. Coss. TVERVNTINCIRCITERMILLIENS (Busb. MILLENIS), Luc. TERVNT HS CIRCITER. AVRIC. RONARI. In fine Busb. TRIGINTA QVIN, Coss. (qui pro PONDO lacunam habet) TRIGINTAETQVIN, Luc. TRIGENTA . . . . Vs. 27 init. Busb. MILLIVM; in fine Busb. CONFERENTIBVS AC cet., Luc. CONFERANTIBVS AD cet. Vs. 28 extr. post IMPERATOR Busb. habet M . . ., Coss. A . . ., Luc. nihil. Vs. 29 init. Busb. . . . . . AVRICORONARIVM cet., Coss. . . . . . RVMCORONARIVM cet., Luc. . . ENTVS SVM AVRVM CORONARIVM cet.; in fine Busb. MVNICIPIIS, Coss. MVNICIP -, Luc. MVNICIPIT. Vs. 30 Busb. . . . . QVAE ANTE DE CREVERAM, Coss. . . . . . . . . ADQVE ANTEA DECREVERANT, Luc. ETCO . . . N . . SMQVESERILNE ADQVE ANTEA DECREVERANT. Vs. 31-38 omittit Busb. Vs. 31 Coss. . . . . . GLADIATORVM DEDI MEO NOMINE ET QVIRIQVIENS FILIORVM . . ., Luc. . . . NVS GLADIATORIVM DEDI MEO NOMINE ET QVIRIQVENS FILIORVM . . . . Vs. 32 Luc. initio RV . . VT; postea VSNAVERVNT pro PVGNAVERVNT. Vs. 33 init. Coss. . . . . . . DECEM . . ., post quod spatium vacuum relinquit versibus sex evanidis; Luc. . . . . . . DECEM MILLIA . . . . BIS . . H . . ETARVM VNDIQVE ACCIN . . . Vs. 34 Luc. . . . . . . . . . . VLO PR . . . . . . . . . . NOMINE ET TERTIVM NEPO . . . . Vs. 35 Luc. . . . . . . . . SETCIME . . . . . . . QVATER cet. Vs. 36 Luc. . . . . . . . . . . . M TER ET VICIM . . . . . . . . SONE . . GLO XV. cet. Vs. 37 post AGRIPPA, in quo praenomen omittit, Luc. habet . . . VP QV . . CI . . . . S. C. FVRNEO CILANO COS. Vs. 38 extr. Busb. TEMPVS DEFVNCTA. Vs. 40 init. Luc. AFRICARVM IN EO NOMINEM, tum in extremo versu IN.CI; deinde Busb. Coss. AVT (pro ET) FILIORVM. Vs. 41 init. Luc. NIORO pro INFORO; dein Busb. POPVL . . . . . QVIBVS, Coss. POP . . . DEDI SEXENS ET VIGIENS QVIBVS, Luc. . . OB . . . EDE SEXIE . . T ET VICIENS QVIBVS, quam ultimam vocem vs. seq. praefigit. Vs. 43 init. Busb. Coss. PRAELII; deinceps Busb. POPVL . . . . . . LIBERVM (p. TIBERIM) cet., Coss. POPVLO

DEDI .... (omissis vocibus TRANS TIBERIM), Luc. POPVLO .... ANS EIBERIM cet. Vs. 44 extr. Busb. CAVATO ..... LONGITVDINE MILLE, Coss. CAVA ..... LONGITVDINEM MILLE, Luc. CAVATO LONGITVDINEM MILLE. Vs. 45 Busb. IN LATITVDINE PEDES DVCENTI IN QVO TRI, Coss. IN LATITVDINE .... DVCENTI IN QVO TRI, et sic etiam Luc. Vs. 46 Busb. TRIREMESQVE PLVRIMAE ..., nihil amplius, Coss. TRIREMES .... ES PLVRES AVT IN, Luc. TRIREMES ....... ES PLVRIS AVTEM. Vs. 47 init. Busb. RVMORES p. MINORES; dein post CONFLIXERVNT Busb. lacunam habet usque ad finem versus; Coss. ...... CLASSIBVS PVGNAVE, Luc. ..... LASSIBVS PVGNAVE. Vs. 48 extr. Busb. MILLIA .... CIRCITER, Coss. MILLIAH ..... CIRCITER, Luc. MILLIA ....... EA CIRCITER. Vs. 49 Busb. CIVITATVM . P .... ET ASIAE cet., Coss. CIVITATVM ...... ASIAE cet., Luc. CIVITATIVM ..... ASIAE cet. Vs. 50 extr. Busb. TEMPLIS ..., nec quicquam amplius; Coss. TEMP ..... CVM QVO BELLVM GESSERAM, Luc. TEM ... VM QVO BELLVM GESSERAM. Vs. 51 Busb. PRIVATIM POSSEDERAT. STATVAE ...., nec quicquam amplius; Coss. PRIVATIM POSSEDERAT. STATVAE PEDESTRES ET EQVES TRES ET IN, Luc. PRIVTIM POSSEDERAT..... STATVA .... EDERTRES ET EQVES TRIS ET IN. Vs. 52 init. Busb. QVADRAGENIS ARGENTEIS cet., Coss. QVADRIGEIS ARGENTEAE cet., Luc. QVADRIGIS ARGENTEAE cet.; deinde Busb. VRBE AC CIRCITER, Coss. VRBE VXC CIRCITER, Luc. VRBE . . XCE CIRCITER. Vs. 53 Busb. EX QVA DE PECVNIA cet., Coss. EX . . EA PECVNIA cet., Luc. SVTVLI EXQVE EA PECVNIA. Vs. 54 Busb. ET FILIORVM QVAE MIHI STATVERVNT HONOREM HABVERVNT POSVI.

Tab. V. vs. 1 Busb. MARE PACAVI A PRAEDONIBVS ..... DO, Luc. MARE PACAVI A PRAEDONIES EO RELIO SERVORVM QVI EVGENIEN TADO. Cosson. vss. 1-27 omittit punctis notans versus octo et viginti tamquam erasos. Vs. 2 Busb. MIBVS ...... SVIS ....... CONTRAREM .... nec quicquam praeterea; Luc. post REMPVBLICAM pergit . . TERNVTI ... NIA FERE MILLIA CAPTA. Vs. 3 Busb. DOMINI ...... sequitur spatium vacuum usque ad vs. 53. Luc. DOMINIS AD SVPLICIVM SVME .... MTRA ........ VR . . ET IN MEA VERBA TOTA. Vs. 5 post init. Luc. habet ETM .... OVICI ... C .... DVCEN DEPOPOSCIT S . IVRA. Vs. 7 init. Luc. QVAM E DCC IN ..... Vs. 8 extr. Luc. GLXX. Vs. 9 Luc. OMNIVM

PROV . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . VIBVS FINITIMAE FVERVNT. Vs. 10 Luc. AVX. pro AVXI. Vs. 12 init. Luc. VM ALBIS ELVM . . . . . . . . . . . . . . . . . cet. Vs. 13 Luc. DRIANO MAR . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . NVLLI GENIT BELLO cet. Vs. 14 med. Luc. ABOSLIOREIENI cet. Vs. 15 extr. Luc. N . . QVE TERRANI QVI. Vs. 16 Luc. ROMANOS pro ROMANORVM; in fine Luc. CHARIIDES (Tournef. CHARYDES). Vs. 21 Luc. . . . ESAE SVNT IN . ICI LI . . . . . . . . . . SOTTI . . . . . . . . IN . . ETH . . . . . VS . . . . . . Vs. 24 Luc. et Chish. . . . . PIVM . . . . . MAM, tum extr. Luc. . . IORIMINI . . R . . . Vs. 25 Luc. FECIO REGI EIVS ARTAXE . . . . . M POSSE . . . . . . . . . . . . MA. Vs. 26 Luc. et Chish. REGI . . M . ID. Vs. 28 init. Luc. . . N . . M GENTEM cet.; in fine PERGA. Vs. 29 init. Luc. TVM pro IVM; hoc versu pergit Cosson. FILIVM MEVM REGIARI - - -, nihil amplius. Vs. 30. Coss. DAM TRADIDI ET POSTEA . . . . . FILIO EIVS AARTAVIDI . . . . ., Luc. DAM TRADIDI ET POSTE . . . . M . . . EMPILIO EIVS ARTAVASDI QVO . . . Vs. 31 Coss. . . . QVI ERAT EX REGIO GENERE ARMENIORVM ORIVNDVS IN ID RE . . . PRO, Luc. NE QVI ERAT EX REGIO GE . . ERL . . R . SENIORVM ORIVNDVS IN ID RE - - - - - - - - -; Chish. ab init. NE . QVI cet. Vs. 32 Coss. VINCIAS OMNES QVAE TRANS ADRIANVM MARE VERGV - - - - -, Luc. VINCIAS OMNIS QVAE TRANS ET ADRIANVM MARE VIRGVM - - - - - Vs. 33 extr. E habet Luc., omittit Coss. et, ut videtur, Tournef. Vs. 35 Coss. AFRICA SCICILIA CALCIDONIA| cet., Luc. MERICA SICILIA . . . . . DONIA cet.; in fine . . G . . . habet Luc. Vs. 36 Coss. P . . . . . . DIA cet., Luc. PI . . DIA; Chish. nescio unde dedit PR - - - - DIA; in fine Coss. AVT - - - -, Luc. AV - - - Vs. 37 init. Coss. QVE pro QVAE; mox Luc. PLEB pro CELEB. Vs. 39 Coss. COMPLVR . . . . . ESA MISSA DEVICTI . . . . ., Luc. COMPIVR . . . OS . . . CES AMISSA DEVICTI . . . . Vs. 40 Coss. EX HISPANIA ET GENT . . . ATH . . . PARTHOS TRIVM EXERCITVM ROMANO, Luc. EX HISPANIA ET S . . . . . . ATEIS PARTHOS TRIVM EXERCITVM - - - - Vs. 42 Coss. COEGI . . . EA AVTEM SI IN PENETRALI QVOD . . . . . TEMPLO MARTIS cet., Luc. COEGI AVTEM SI . . . A IN PENETRALI QVOD ET . . . . . ET IN TEMPLO MARTIS cet. Vs. 44 Coss. QVE . . . . NTEME, Luc. QVAE ANTE ME. Vs. 45 Coss. QVAM AD . . . . . DEVICTAS PERTI . . VEM QVI TVM ERAT PR . . . . . VS, Luc. QVAM AD ET DEVICTAS PERTI . . . . . EM QVI TVM FRATER . . ., nec quicquam praeterea. Vs. 46 Coss. ROMANI . . . CI PROTVLIQVE . . .

NVMINIS, Luc. ROMANIS . . . . CI PROTVLIQVE . . . . S . IL . . . . . . . . . FLVMINIS. Vs. 47 Coss. nihil nisi EXERCITVS habet in medio fere versu positum. Et hoc vocabulo explicit apographum Cossonianum. Vss. 47. 48. 49. 50. 51 Luc. eos ductus habet, quos supra expressimus; nisi quod vs. 50 habet IN pro IND. Vs. 52 Luc. PER LEGA . . . . B . CSTAR . . N . . . . EET SAR . . . . . . RVM . . . . Vs. 53 Luc. TANAIM . . VLTRA REC . . . . . . . RVMO . . REX ET HIBER . . . . . Vs. 54: ex hoc versu in apogr. Busb. enotatur REGIS . PARTHORVM . . . . . ., nec quicquam praeterea; Luc. habet: AD ME SVPLICIS CONFV . . . . . . GES PARTHORVM TIRIDA - - -

Tab. VI. vs. 1 Luc. REGIS PHRATI . . . . . MEDORVM . . . . . . . . PTA . . CA - - - (quas litteras CA omittit Chish. fortasse quod eas non habet Tournef.) Vs. 2 Luc. RES BRITAN . . . . . . DVMNO . . . . . . . BELLA . . . . . . . . . . . . . . . RVM. Vs. 3 extr. Luc. post lacunam HORVM. Vs. 4 Luc. PHPATES ORO . . . FILIVS FILIOS SVOS NEPO . . . . . . . . . . . . IAM, vocabulo NON in initio versus seq. posito. Vs. 5 extr. Luc. PER . . . . . . . . IGNORA. Vs. 6 Luc. ANIAE p. ALIAE; deinde EXPE . . . . . . . . . ME PRIN. Vs. 8 Luc. ET AMICITIA COMMERCIVM, quae verba reiicit in finem versus praecedentis. Vs. 9: ex hoc versu in apogr. Busb. rursus enotantur verba: A ME GENTES . . . . . . THORVM . ET . MEDORVM . . ., nec quicquam praeterea; Luc. MEDORVM . . . . . . . PRINCIPES cet. Vs. 10 init. Luc. omittit QVE. Vs. 11 Luc. MEDIA . . . . . . . . . R . . ARTAVAZDIS FI. Vs. 12 extr. Luc. NE - - Vs. 13: ex hoc versu in apogr. Busb. enotatur IN CONSVLATV . . . ., nec quicquam praeterea in hac tabula; Luc. SEPTIMO . . . . . . . . A EXSTINXERAM. Vs. 15 Luc. SENATV . . . . . . RB . . RIVM TRANSTVLI. Vs. 16 init. Luc. QVE cet.; deinde SENA . . . . . . . . . . L . . V . . . SVM ET LAVREIS, ubi Chish. nescio unde SENA - - - - L - - - TVM ET LAVREIS. Vs. 18 pro priore L in voce LVLIA punctum ponit Chishull. Vs. 19 Luc. . . VS QVE M . . . . . . SE . . R . . . . . . . . . . . . . . . MD . . . . VIRTVTIS CLE. Vs. 24 extr. post lacunam Luc. SIER ORDO. Vs. 26 Luc. MEA . . VM . . NSCRIRIN . . . . . . . . . . . . . . IN FORO AVG. Vs. 27 Luc. . . . QVADR . . S QVAE cet. et in fine HARC . . . . (pro HAEC). Vs. 30 Luc. . . SIS MILITIBVS DENARIVM S . . . . .; Chishull. ex Tournef. ut videtur, . . SIS . MILITIBVS . NECESSARIVM . . . . . ., quod nihili est. Vs. 32 Luc. QVIRENE. Vs. 33 Luc. PENNIIVM p. PENATIVM. Vs. 35 Luc. IVLIAM . . ATRIVM MARCELLI . . . . . . . . . . . CAESARVM. Vs. 37 Luc. RFFECIT

CAPITO . . . . . . . SQVE A . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . VM POM. Vs. 38 Luc. PEI AQV . . . . . . . . ÁM . . LA . . . . . . . . . . . . . Vs. 39 Luc. IMPENS . R . . . . . . . . . . . . . . . . GLADIATORVM A . . . Vs. 40 a reliquis omissum idem ut deperditum punctis signat. Vs. 40 Luc. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . RAE MOTV INCENDIOQV . . . NSVM. Vs. 41 Luc. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . SVSQVE QVORVM CEN . . S EXPLEVIT.

---

## Tab. I.

*Rerum gestarum Divi Augusti, quibus orbem terrarum imperio populi Romani subiecit, et impensarum, quas in rempublicam populumque Romanum fecit, incisarum in duabus aheneis pilis, quae sunt Romae positae, exemplar subiectum.*

Annos undeviginti natus exercitum privato consilio et privata impensa comparavi, per quem rempublicam [dom]inatione factionis oppressam in libertatem vindicavi. [Sen]atus decretis honorificis in [amplissimum ordinem sum [Pansa et Irti]o Consulibus [adlectus, ut praetorium obtinerem locum, [atque] imperium mihi dedit respublica, u[ti pro] Praetore simul cum Consulibus Ir[tio et Pansa essem. Cum] autem eodem anno me [Senatus populusque Consulem cum [Q. Pedio edi]disset et triumvirum reipublicae constituen[dae, qui parentem [co]niu[rati occidi]s[sent, om]n[ei]s in exilium expuli iudiciis legitimis ultus, postea bellum inferentis reipublicae - - - - -

\- - - - - - - - - - - - -

arma terra marique [moventes, sig]naque toto orbe terrarum [inferentes vici victorque omnibus [supplicib]us civibus peperci [et in] exil[io diuturno degentes, quibus tuto [parcerem, malui] servare quam occidere. [In iis bellis millia civium Roma[norum adacta] sacramento meo fuerunt circiter [quingenta, ex quibus dedu[xi in colonia]s aut remisi in municipia sua stipen[dis solutis millia aliquanto [plura qu]am trecenta, et iis omnibus agros a[dsignavi aut pecuniam pro [agris ex] me dedi. [Longas] naves cepi sescen[tas praeter alias, si quae minore[s quam trir]emes fuerunt.

Bis ovans triumpha[vi, tris egi cu]rulis triumphos et appella[tus sum viciens et se]mel Imperator, [cumque plu]ris triumphos mihi Se[natus decrevisset, iis agendis su]persedi [et tantum laur]us deposui in Capitolio, [votis quae pro republica in q]uoque bello nunc[uparam reddi]tis. Ob res a[ut ductu meo aut per legatos auspiciis meis terra marique prospere gestas qu[inquagiens et quinquiens (?) decrevit Senatus supplicandum esse dis immo[rtalibus - - - - quo [ex] Senatus consulto supplicatum est in deo[rum immortalium templis] - - - - - - - - - - -

- - - ter deciens [Consul factus sum - - - - -
tribunici]ae potes[tatis - - - - - - - -
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -
- - - - - - - - - -

## Tab. II.

Patri[c]iorum numerum auxi Consul quintum iussu populi et Senatus. Senatum ter legi et in consulatu sexto censum populi conlega M. Agrippa egi. Lustrum post annum alterum et quadragensimum feci, quo lustro civium Romanorum censa sunt capita quadragiens centum millia et sexaginta tria millia. [Alteru]m consulari cum imperio lustrum solus feci [C.] Censorin[o et C.] Asinio Cos., quo lustro censa sunt civium Romanorum [capita] quadragiens centum millia et ducenta triginta tria m[illia. Tertiu]m consulari cum imperio lustrum conlega Tib. Ca[esare feci] Sex. Pompeio et Sex. Appuleio Cos., quo lustro ce[nsa sunt civium Ro]manorum capitum quadragiens centum mi[llia et nona]ginta et septem millia.

Legibus novi[s latis e]xempla maiorum exolescentia [revocavi et fugientia iam ex nos[tra memoria] avitarum rerum exempla imitanda [edictis meis proposui. Magistr]atus et sacerdotes [commodis et dignitate auxi. Plebem m]u[l]tis [ben]ef[i]c[iis affeci. Ob ea merita Senatus decrevit, ut per] quattuor amplissima colle[gia sacerdotesque reliquos et per totam Ital]iam et municipi[oru]m uni[versorum templa supplicaretur] apud omnia pulvinaria pro vale[tudine mea nomenque meum incl]usum est in Saliare carmen et sacrosanctus iudicatus s]u[m, praet]erea[que] tribunicia potestas mihi [Consuli undecimum cum Cn. Pi]s[one] iter[u]m in [perpetuum delata est. Populo summum] sacerdotium deferente mihi, quod pater meus [procuravit, suscepi id] sacerdotium aliquod post annos eo mor[tuo, qui post patrem meum illud pro]curaverat, cuncta ex Italia [vota offerentibus municipis ex consuet]udine, quanta Romae nun[quam ante facta esse narrantur P. Sulp]icio C. Valgio Consulibus.

Aram Fortunae Salutaris prope ae]dis Honoris et Virtutis ad por[t]am [Capenam pro reditu meo in urbem Se]natus consacravit, in qua pon[tifices et sacerdotes a]nniversarium sacrificium facere[nt ob salutem meam conservatam. Pro] r[edi]t[u meo] in urbem ex [transmarinis provincis Senatus consacr]avit [aram Fortunae Reduci - - - - et quo die urbem intra]s[sem iussit esse ferias - - - - - - - - - - et prin - - a mihi - - - - - - - - h]onos . . . . [A]ra[m Pacis in campo Martio ob res in Hispa]nia Gal[liaque pr]ovinciis pros[pere gestas Senatus consacravit Tib. Nero]ne P. Qu[inctilio Cos.] aram[que Fortunae Reduci eodem anno Senatus pro] reditu meo co[nsacravit] ad cam[pum Martium, in qua] magistratus et sac[erdotes pro salute mea sacrificium anniversar]ium [fa]c[erent - - - - - - - - - - cussum ess[et - - - - - - - - - quia pe]r totum i[mperium] populi Romani [parta erat terra marique p]ax. Cum[que ab urbe c]o[ndita ante me] Ia[num Qui]r[inum] bis omnino clausum fuis]se prodatur m[emori]ae, ter me principe [Senatus c]laudendum esse censuit. Fil]io[s] meos, quos sin[istra fortuna] mihi eripuit, eorum [G]aium et Lucium Caesares, [postquam utrumque Consul ipse in forum deduxi,

## Tab. III.

honoris mei causa Senatus populusque Romanus annum quintum et decimum agentis Consules designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium, et ex eo die quo deducti sunt in forum ut interessent consilis publicis, decrevit Senatus. Equites autem Romani universi principem iuventutis utr[um]qu[e eo]rum par[mis e]t hastis argenteis donatum appellaverunt.

Plebei Romanae viritim HS trecenos numeravi ex testamento patris mei et nomine meo quadringenos ex bellorum manibiis Consul quintum dedi; iterum autem in consulatu decimo ex patrimonio meo HS quadringenos congiari viritim pernumeravi et Consul undecimum duodecim frumentationes frumento privatim coempto emensus sum et tribunicia potestate duodecimum quadringenos

nummos tertium viritim dedi, quae mea congiaria pervenerunt ad homi]num millia nunquam minus quinquaginta et ducenta. Tribuniciae potestatis duodevic[e]nsimum Consul XII trecentis et viginti millibus plebei urbanae sexagenos denarios viritim dedi. In c]o[lo]nis militum meorum Consul quintum ex manibiis viritim millia nummum singula dedi: acceperunt id triumphale congiarium in colonis hominum circiter centum et viginti millia. Consul tertium decimum sexagenos denarios plebei, quae tum frumentum publicum acceperunt, dedi: ea millia hominum paulo plura quam ducenta fuerunt. Pecunia, [quam pro] agris, quos in consulatu meo quarto et postea Consulibus M. Crasso et] Cn. Lentulo Augure adsignavi militibus, solvi municipis, ea sestertium circiter sexsiens milliens fuit, quam [ex] collationibus [pro praed[is] numeravi, et circiter bis milliens et sescentiens, quod pro agris provincialibus solvi. Id primus et solus omnium qui deduxerunt colonias militum in Italia aut in provinciis ad memoriam aetatis meae feci, et postea [Tib.] Neron[e] et Cn. Pison[e] Consulibus, itemque C. Antistio et D. Laelio Cos. et C. Calvisio et L. Pasieno Consulibus et [C. Lentulo et M.] Messalino Consulibus et L. Caninio et Q. Fabricio Consulibus [veteranis], quos emeriteis stipendis in sua municipia [remisi], praem[ia aere nu]merato persolvi, quam in rem sest[ertium circiter sexsiens] mill[iens impendi.

Quater pecunia mea iuvi aerarium ita ut sestertium milliens et quing[enti]ens ad eos qui praeerant aerario detulerim et M. [Aemilio et L. Aruntio Cos. in aerarium militare, quod ex consilio [meo co[nstitu]tum est, ex [quo] praemia darentur militibus, qui vi[ginti stipendia] emeruissent, HS milliens et septingenti[ens Tib. Caesaris nomine et m]eo detuli. [Anno quo M. Claudius et L. Aruntius et anno eo qu]o Cn. et P. Lentulus [Cons]ules fuerunt, cum d[efi]cerent [horrea publica, pecuniam] centum millibus hominum [ex meis op]ibus [pr]o fru[mento dedi.

## Tab. IV.

Curiam et continens ei Chalcidicum templumque Apollinis in Palatio cum porticibus, aedem Divi Iuli, Lupercal, porticum ad Circum Flaminium, quam sum appellari passus ex nomine eius qui pri-

orem eodem in solo fecerat Octaviam, pulvinar ad Circum Maximum, aedes in Capitolio Iovis Feretri et Iovis Tonantis, aedem Quirini, aedes Minervae et Iunonis Reginae et Iovis Libertatis in Aventino, aedem Larum in summa sacra via, aedem deum Penatium in Velia, aedem Iuventatis, aedem Matris magnae in Palatio feci.

Capitolium et Pompeium theatrum utrumque opus impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei. Rivos aquarum compluribus locis vetustate labentes refeci, et aquam quae Marcia appellatur duplicavi fonte novo in rivum eius immisso. Forum Iulium et basilicam, quae fuit inter aedem Castoris et aedem Saturni, coepta profligataque opera a patre meo perfeci et eandem basilicam consumptam incendio ampliato eius solo sub titulo nominis filiorum [meorum] incohavi et, si vivus non perfecissem, perfici ab heredibus [meis iussi. Duo et octoginta templa deum in urbe Consul [sextum ex decreto S[en]atus refeci, nullo praetermisso quod [vetus] tem[plum fuisset. Consul septimu]m v[ia]m [quae Fla]min[i]a a[ppellatur] i[pse mea pecunia, ab aliis] praeter[missam, s]um[psi mu]n[ienda]m.

Privato solo [empt]o Martis Ultoris templum forumque Augustum et theatrum ad aedem Apollinis in solo magna ex parte a [privatis empto feci, quod sub nomine M. Marcelli generi [me]i esset. Dona [de manibiis in Capitolio et in aede Divi Iuli et in aede Apollinis et in aede Vestae et in templo Martis Ultoris consacravi, quae mihi constiterunt HS circiter milliens. Auri coronari pondo triginta et quinque millia municipiis et colonis Italiae conferentibus ad triumphos meos quintum Consul remisi et postea quotienscumque Imperator appellatus sum aurum coronarium non accepi decernentibus municipiis et co[lo]n[i]s [Italia]e s[im]il[it]e[r] adque antea decreverant. - - - - - - mu]nus gladiatorium dedi meo nomine et quinquiens filiorum meorum aut nepotum nomine, quibus muneribus pugnaverunt h[ominum circiter] decem millia. Bis [at]h[l]etarum undique acci[torum certamina dedi in spectac]ulo pro[prio meo] nomine et tertium nepo[tum meorum. Ludos] feci meo nomine quater, aliorum autem m[agistratuum absentium aut non sufficienti]um ter et viciens. [In colle]gio XV virorum magi[ster adlectus eius] collegi [c]um M. Agrippa p[ro] qu[inde]ci[m viri]s C. Furnio C. Silano Cos.

qui]n[tos] ludos [saeculares ratione ad i]d tempus [in]i[ta] e[x oraculo [librorum Sibyllinorum summa cum cura feci. Venationes bestia]rum Africanarum meo nomine et filiorum meorum et nepotum in Circo aut in foro aut in amphitheatris populo dedi sexiens et viciens, quibus confecta sunt bestiarum circiter tria millia et quingentae.

Navalis proeli spectaculum populo dedi trans Tiberim, in quo loco nunc nemus est Caesarum, cavato [solo in] longitudinem mille et octingentos pedes, in latitudinem [pedum mille et] ducent[um], quo triginta rostratae naves, triremes [et quadrirem]es, pluris autem minores inter se conflixerunt. [In iis] classibus pugnaverunt praeter remiges millia [hominum tri]a circiter.

In templis omnium civitatium [Achaiae] et Asiae victor ornamenta reposui, quae spoliatis templis [is] cum quo bellum gesseram privatim possederat. [Meae] statuae pedestres et equestres et in quadrigeis argenteae steterunt in urbe XXC circiter, quas ipse sustuli exque ea pecunia dona aurea in aede Apollinis meo nomine et illorum, qui mihi statuarum honorem habuerunt, posui.

## Tab. V.

Mare pacavi a praedonibus. Eo bello servorum, qui fug[era]nt a dominis suis et arma contra rempublicam tulerant, [trigi]nta fere millia capta dominis ad supplicium sumendum tradidi. Iuravit in mea verba tota Italia sponte sua et m[e pr]o vict[oria reipubli]c[ae] ducem depoposcit. Iuraverunt in eadem v[erba Gal]liae, [Hisp]aniae, A[fri]ca, Sicilia, Sardinia, [Illyricum. Iura]ve[runt in eadem verba sena]tores plures quam DCC [C]n. [Domitio C. Sosio] Consulibus. Facti sunt ad eum diem quo scripta sunt [haec] - - - - - circiter CLXX.

Omnium provinciarum [populi Romani], quibus finitimae fuerunt gentes, quae n[ondum parerent imperio nostr]o, fines auxi. Gallias et Hispanias provincia[s quousque eas allui]t Oceanus a Gadibus ad ostium Albis fluminis [et quae pertinent a regi]one ea quae proxima est Hadriano mari [ad Tuscum composui], nulli genti bello per iniuriam inlato. C[lassis Romana] ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad [orbis extrem]a navigavit, quo neque terra neque

mari quisquam Romanorum ante id tempus adit. Cimbrique et Char[u]des et Semnones et eiusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et populi Romani petierunt. Meo iussu et auspicio ducti sunt duo] exercitus eodem fere tempore in Aethiopiam et in A[rab]iam, quae a[d [id tempus a nullo unquam aut Romani aut alius populi exercitu] invi]sae sunt. In Sicili[am - - - - - - -

\- - - - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - - - -

Aegy]p[t]um [populi Ro]ma[ni] ad[ieci imperio. Arme]niam [ma]iorem interfecto rege eius Artax[ia cu]m posse[m provinciam facere], ma[lui maiorum nostrorum exemplo reg[nu]m id [ad Tigranem, Artavasdis filium, nepotemT igranis regis, per [Tib. Ne]ro[nem, qui tu]m e[rat privignus meus, transferre. Ea]n[de]m gentem postea i[nsur]gentem et rebellantem, d[omitam] per Gaium filium meum regi Ari[obarz]a[ni, regis Medorum Artavasdis filio, regendam tradidi et post e[ius] m[ort]em filio eius Artavasdi, quo [interfecto Tigrane[m], qui erat ex regio genere Armeniorum oriundus, in id reg[num misi]. Provincias omnis, quae trans Hadrianum mare vergunt [ad Orientem Cyrenasque iam ex parte magna regibus eas possidentibus e[t antea Siciliam et Sardiniam occupatas bello servili reciperavi.

Colonias in Africa, Sicilia, [Mace]donia, utraque Hispania, [Achaia, Asia, Syria, Gallia Narbonensi, Pi[si]dia militum deduxi. Italia aut[em colonias, quae vivo me celeberrimae et frequentissimae fuerunt, [duodetriginta deductas habet.

Signa militaria complura [per ali]os [du]ces amissa devictis [hostibus recepi ex Hispania et G[allia et a Dalm]ateis. Parthos trium exercituum Romanorum spolia et signa re[ddere] mihi supplicesque amicitiam populi Romani petere coegi: ea autem signa in penetrali, quod est in templo Martis Ultoris, reposui.

Pannoniorum gentes, quas ante me principem populi Romani exercitus nunquam adit, devictas per Ti[b. Neron]em, qui tum erat pr[ivignus meus et legat]us, imperio populi Romani subieci; protulique fines Il[lyrici ad Istri] fluminis ripam, cis] quod [D]a[cor]u[m magn]us exercitus [m]eis [auspici]s pro[flig]a[tus est, exercitusque [meus] pos[tea d]uc[t]us [trans Istrum flumen Dacorum gentes i[mperia populi Romani perferre coegit.

Ad me ex Ind[ia regum legationes saepe missae sunt nunquam antea visae apud qu[em]q[uam Romanorum principe]m. Nostram [amicitiam petierunt per lega[tos] Bastarna[e et Scytha]e et Sar[mata]rum [cis Tanaim fluvium Tanaimque ultra re[ges Albano]rum[que] rex et Hiber[orum et Medorum reges.

Ad me supplices confuge[runt] reges Parthorum Tirida[tes et postea Phrates,

## Tab. VI.

regis Phratis [filius], Medorum Arta[vasdes, regis] A[riobarzanis filius, reg]es Britann[orum] Damno Bella[unusque] et Tim - - - [Cimbr]orum Maelo, Mar[c]omanorum Suebo - - - - [Ad me rex] Parthorum Phrates Orodis filius filios suos nepo[tesque omnis misit] in Italiam non bello superatus sed amicitiam nostram per [haec] suorum pignora petens; plurimaeque aliae gentes expe[rtae sunt populi Rom.] fidem me principe, quibus antea cum populo Romano [nullum fuerat l]egationum et amicitiae commercium.

A me gentes Parthorum et Medorum [petierunt per] principes earum gentium regesque eos acceperunt, Pa[rthi Vononem, regis Phra]tis filium, regis Orodis nepotem, Medi A[riobarzanem], regis Artavasdis filium, regis Ariobarzanis nep[otem.

In consulatu sexto et septimo, [postquam bella civili]a exstinxeram, per consensum universorum [civium mihi tradita]m rempublicam ex mea potestate in Senatu[s populique Romani a]rbitrium transtuli, quo pro merito meo Sena[tus consulto Augustus appel]l[at]u[s] sum, et laureis postes aedium mearum v[inctae sunt p]u[bli]c[e] su[pe]rque eas ad ianuam meam e[x] qu[erna fronde co]r[o]n[a ci]v[ic]a posi[ta ob servatos cive]s, qu[ique es]se[t pe]r [inscriptione]m [t]e[stis meae] virtutis, clementiae, iustitiae, pietatis], est p[osit]us clupe[us aureus in curia a Senatu populoque R]o[mano, quo]d, [quamquam dignitate omnibus praestarem, potestatem tamen nih]ilo amplio[rem haberem quam] con[l]e[gae mei.

Te]rtium de[ci]mum consulatu[m me gerente Senatus et eque]ster ordo populus[que] Romanus universus [me appellavit patrem pat]riae, idque in vestibu[lo a]edium mearum [i]nscriben[dum censuit et in curia et] in foro Aug[usto sub] quadr[igi]s, quae mihi [ex] S. C. pos[itae sunt. Scrip]si haec, [cum an]num age[ba]m septuagens[imum sextum.

*Summa pecuniae, quam dedi[t in aerarium vel populo Romano vel dimis]sis militibus, denarium s[exsiens milliens fuit.*

*Opera fecit nova, aedem Ma[rtis, Iovis Tonantis et Feretri, Apollinis, Divi Iuli, Quirini, Minerva[e, Iunonis Reginae, Iovis Libertatis, Larum, deum Penatium, Iuv[entatis, matris deum, Lupercal, pulvinar ad Circum, curiam cum C[halcidico, forum Augustum, basilicam Iuliam, [th]eatrum M. Marcelli, [naumachiam circa Tiberim et nemus Caesarum, [porticus in Palatio, porticum ad Circum Flaminium. Refecit Capito[lium aede]sque [s]a[cras octoginta duas, theatr]um Pompei, aqu[arum ductus, vi]am [F]la[miniam. Ingens est magnitudo impens[a]r[um, quas fecit in ludos et munera] gladiatorum a[thletarumque [et proelium navale et venationes, donorum, quae dedit colonis et municipis] Italiae oppidisque provinciarum ter]rae motu incendioque consum[ptis vel amicis singulis senatorib]usque, quorum census explevit.*

# COMMENTARIVS

IN

# MONVMENTVM ANCYRANVM.

## TABVLA PRIMA.

1-3. Hi tres primi versus additi sunt tituli loco ab eo, qui descripsit haec ab *αὐτογράφῳ* Romano, et ita videntur esse additi, ut aliquid tamen, quod in ipsis tabulis Romae erat, scriberetur. Quaeri igitur potest, quid Augustus ipse indici rerum a se gestarum inscripserit. Equidem haec puto: *Res gestae, quibus orbem terrarum imperio populi Romani subieci et impensae, quas in rempublicam populumque Romanum feci.* His is qui descripsit, addidit primum ea, quae necessaria erant, *exemplar subiectum,* sed ut tabellionis publici more significaret etiam, unde exemplar suum sumpsisset, adiecit etiam *incisarum in duabus aheneis pilis quae sunt Romae positae.* Quas *res gestas* et *impensas incisas* non ferrem in Augusto ipso aut in alio eleganti scriptore, in homine provinciali ferendae sunt. Quod autem hic *in duabus aheneis pilis* incisus esse narratur index rerum ab Augusto gestarum, movit Lipsium ad Tac. Annal. I, 11, ut item scribendum esse existimaret apud Sueton. vit. Aug. c. 101, qui dicit *in aheneis tabulis incidi* iussisse Augustum. Equidem Suetonii auctoritatem huic homini, qui haec descripsit, praeferre non dubito nec pilas ipsas aheneas fuisse credo, cum mausoleum, quod iis ornabatur, constet factum esse ex lapide albo. Vide Strabon. V, 3, 8. Quare tabulas aheneas ad pilas marmoreas additas fuisse censeo. Cf. autem formulam interpretationis Graecae.

4. *annos undeviginti natus.* Non quaeritur, a quo tempore Augusti imperium ducendum sit, in qua re multum spatii Chishullus consumit, sed quo tempore exercitum compararit. Kalendis igitur Novembribus anni 44 a. Chr. (710 ab urb. cond.), cuius anni a. d. IX. Kal. Octobr. annum undevicesimum expleverat (natum enim esse constat anno 63 a. Chr., 691 ab urb.), scribit ipse Ciceroni (ad Attic. XVI, 8), se perduxisse veteranos Casilini ad sententiam suam exercitumque comparare coepisse. Recte igitur hic tradidit recteque ab exercitu comparato res gestas suas orditur; nam quae antea egerat contra M. Antonium, privato iure et, ut omnes poterant homines privati, de hereditate et de testamento certaverat. Verum item recte Velleius II, 61 dicit *C. Caesarem undevicesimum annum ingressum mira ausum esse ac summa consecutum privato consilio.* Coepit enim consilia sua constantissime persequi et viam honorum sibi quasi praemunire statim postquam Romam venit, id quod factum

esse circa Idus April. anni 44 discimus ex Cic. ad Attic. XIV, 5, quo tempore nondum sex menses ultra duodevicesimum aetatis annum expleverat. Similiterque intelligendi sunt Tacit. Annal. XIII, 6 *nono decimo* (aetatis anno) *Caesar Octavianus civilia bella sustinuit* et Florus IV, 4, qui Augustum *intra decem et octo annos tenerum* cum M. Antonio certasse ait.

*privato consilio et privata impensa.* Omitto ceteros testes: Cicero in Philippica III init., cum res modo accidisset, sic praedicat Augusti consilium: *C. Caesar adolescens, paene potius puer, — nec postulantibus nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis — firmissimum exercitum — comparavit, patrimoniumque suum effudit,* et paulo post *Qua peste* (i. e. M. Antonio) *privato consilio rempublicam (neque enim fieri potuit aliter) Caesar liberavit.*

5. *dominatione factionis oppressam.* Tournefortus superesse scripserat . . . TINATIONE, unde Chishullus effecit *obstinatione*, quod parum placet. Neque enim Latine obstinatio in malam partem dicitur, sed plerumque in bonam, ut idem sit quod constantia, perseverantia. Secutus igitur sum Gronovium, qui ex eo, quod Busbequius, Cossonius, Lucas tradiderunt . . . INATIONE, effecit *(dom)inatione*. Quae factio significetur, indicat Vellei. II, 61 *Torpebat oppressa dominatione Antonii civitas,* iisdem prope verbis atque Augustus usus. Quantopere autem M. Antonius eiusque fratres illo tempore, quo Augustus exercitum comparavit, civitatem oppressam tenuerint, notum est ex Ciceronis orationibus Philippicis et epistolis.

6. *senatus decretis honorificis* cet. Aliter hunc locum Chishullus constituerat, sic quidem: (*Sen*)*atus decretis honorificis* (*ornatus*) *in* (*eum*) *ordinem sum* (*adlectus a*) *consulibus* (*inter consulares ut sententiam dice*)*rem locum*(*que et*) *imperium mihi dedit respublica u*(*ti praetori*) *simul cum consulibus Ir*(*tio et Pansa*). Haec cum propter ea, quae superesse dicuntur, ferri nequeant (nam vs. 6 nulla lacuna significatur inter id quod est *honorificis* et inter *in*), tum propter sententiam ipsam reiicienda sunt. Neque enim consules in senatum allegunt et quid esse dicemus *locum et imperium mihi dedit respublica?* Ne illud quidem Latinum, quod Augusto *uti praetori* imperium datum esse dicitur. Aliter igitur ipse hunc totum locum constitui, cum iam Franzius intellexisset, vs. 7 scribendum esse (*Pansa et Irti*)*o consulibus*; eo enim refertur, quod vs. 9 est *eodem anno*. Nec vero eo tempore, de quo h. l. dicitur, consularem locum in senatu concessum esse arbitror Augusto, in qua sententia est etiam Drumannus in historia Rom. huius temporis Vol. I. p. 239, sed *praetorium*. Nimirum haec res ita se habet. Ipsis Kal. Ian. anni 43 a. Chr., 711 ab urb. (additque ea de causa Augustus Pansam et Hirtium consules, ut insequenti anno haec facta esse significet) cum a novis consulibus de republica referretur, Cicero orationem habuit contra M. Antonium eam, quae est Philippica quinta. In ea de honore Caesaris hanc proponit sententiam (c. 17): *senatui placere C. Caesarem, C. filium, pontificem, pro praetore, senatorem esse, sententiamque loco praetorio dicere eiusque rationem, quemcunque magistratum petet, ita haberi, prout*

*haberi lege liceret, si anno superiore quaestor fuisset*, excusataque multis verbis amplitudine honoris spondet ipse C. Caesarem semper bonum civem fore. Haec sententia illo quidem die non perlata vicit postridie, nec quod Cicero, Caesari amicissimus, magnitudinem honorum, quos decernebat, excusat timide, verisimile est, ei maiores postea esse delatos. Verum quod Cicero iubebat Caesarem in honoribus vere petendis loco quaestorio esse i. e. ita, quasi anno superiore quaestor fuisset, id male intellectum ita retulit Dio Cassius XLVI, 29, ut diceret ei decretum esse τὸ βουλεύειν ἐν τεταμιευκόσι. Cf. de his ea, quae dixi in commentatione Latina de Ciceronis et Bruti epistolis, quae vulgo feruntur, hoc ipso anno edita, p. 35. Post Mutinense autem proelium cum Caesar, neglectus a senatu, indignaretur, ille territus ei consularia ornamenta et ut inter consulares in senatu sententiam diceret obtulit (Dio XLVI, 41). Hoc rursus Appianus bell. civ. III, 51 tempore parum recte notato ita narravit, quasi iam Kal. Ianuariis Caesari hi honores habiti essent. Atque ipsa rei natura ita illo quidem tempore ferebat, ut qui pro praetore imperium habere iuberetur, inter praetorios sententiam diceret; ut loco quaestorio inter senatores esset, fieri potuerit, ut loco consulari esset, fieri non poterat. Vide Garaton. ad Manutii praefationem Cic. Philipp. VI et meam quaestionem de honorum gradibus sub imperatoribus Hadriano et Antonino Pio p. 268 (in museo Rhenano anni 1842). Ornamenta autem consularia locusque consularis, quae post Mutinense bellum Caesari offerebantur, cum statim ab eo parvi fierent (Dio l. s. l.), tum propter verum consulatum, quem continuo adeptus est, erant parvi facienda nec ea ab Augusto in hoc indice rerum a se gestarum commemorata esse arbitror. Est igitur iam res aperta: nam eius auctoritas, qui Livii libr. CXVIII in epitomen redegit, facile spernetur. Unum superest, quod quaeri possit, quae decreta illa honorifica, quibus in senatum allectus esse dicitur, fuerint. Ornatus autem est Caesar primum eo decreto, quod Cicero Philipp. III, 15 habet, quo ei gratiae sunt actae verbis amplissimis, tum postridie Kal. Ian. aut plura senatus consulta facta sunt de honore Caesaris, aut unum plures res complectebatur. Ut praeter ea, quae Ciceronis locus, quem supra attuli, demonstrat, simul statuam equestrem Caesari decretam esse narrant Vellei. II, 61; Dio XLIV, 29; Appian. bell. civ. III, 51.

8. *imperium mihi dedit respublica* sqq. Cur additur illud *respublica?* Quia a senatu solo, quem supra nominarat, imperium proficisci non potuit, sed ad id conferendum opus erat populo Romano. In iis autem, quae sequuntur, cum Chishullus in exemplo Tournefortiano superesse dicat litteram V, restituendum esse putavi *uti pro praetore simul cum consulibus Irtio et Pansa essem* i. e. ita mihi delatum est imperium, ut cum consulibus bellum contra M. Antonium gererem.

9. *Cum) autem eodem anno me (senatus populusque) Consulem cum (Q. Pedio edi)disset*. Sic recte videtur Franzius explevisse pro iis quae Chishullus coniecerat. Neque enim *suffectum* consulem dici opus est, quia iam medio anno se consulatum adeptum esse significavit, nec *suffectum edere consulem* satis Latinum est pro

solo verbo sufficiendi. De rebus ipsis haec annoto. Pansa et Hirtius consules cum Mutinensi bello perissent, Caesar a senatu neglectus cum exercitu ad urbem accessit et senatus consultum expressit, ut absenti consulatum petere liceret, biduoque post, cum proconsules duo ad comitia habenda a praetore urbano editi essent (Dio Cass. XLVI, 45), ipse cum Q. Pedio consul creatus est. Dies is fuit a. d. XIV Kal. Septembres, quo eodem mortuus est. Testatur id Dio LVI, 30, Sextilique sive Augusto mense ei primum consulatum obtigisse frequens est veterum auctorum commemoratio. Vide Sueton. Octav. c. 31 et imprimis Macrob. Saturnal. I, 12, qui ipsum illud S. C., quo Sextilis mensis in Augustum mutatus est, affert; cf. etiam Lips. ad Tac. Annal. I, 9. Quamquam turbare videtur hanc rationem Vellei. II, 65, a recentioribus, ut a Drumanno hist. Rom. Tom. I, p. 336, non recte erroris accusatus, cuius verba haec sunt: *Consulatumque iniit Caesar pridie quam viginti annos impleret,* X *Kal. Octobres, cum collega Q. Pedio.* Quem quis existimet in re suo tempore adeo celebrata et in tam accurata narratione errare potuisse? Nimirum creatus est consul Caesar a. d. XIV Kal. Sept., iniit consulatum (eoque ipso verbo usus est Velleius) Septembri mense. Atque inter acceptum et initum consulatum aliquid temporis intercessisse et Dio XLVI, 47 significat, cum Caesari custodiam urbis commissam esse dicit, quam antea praetor urbanus habuisset, quo decreto non opus erat, si continuo magistratum inisset, quia consul semper summam urbis curam habet, et Velleius, qui de inito consulatu post societatem cum M. Antonio iunctam narrat.

10. *triumvirum reipublicae constituendae.* Editus est cum Q. Lepido et M. Antonio in quinquennium inde a V. Kal. Decembr. anni 43 (711 ab urb.), ut constat ex fragmento fastorum apud Grut. p. 298, 1, usque ad pridie Kal. Ian. anni 38 (714 ab urb.). Quem magistratum antequam cum collegis adiit, consulatu sese abdicavit.

11. *omneis in exilium expuli, iudiciis legitimis ultus.* Sic enim verba coniungenda sunt, aliter ac Chishullus censuit, qui *ultus* refert ad ea, quae sequuntur, ea maxime re motus, quod ab Augusto constat in bello Philippico aedem Martis Ultoris votam esse. Cf. infra ad IV, 21. Sed parum id causae est, ut naturalis verborum nexus solvatur, nec omnino ultio tam in repellendis iis erat, qui patriae bellum intulerant, quam in puniendis, qui patrem occiderant, bellumque necessario, accusatio et damnatio ultionis causa suscepta esse videri poterat. Scripsi autem accepta Franzii coniectura *omneis,* quia in exemplo P. Lucae superest . . . NIAS, quod nulla alia ratione videtur suppleri et restitui posse. Cf. Vellei. II, 69 *omnibus, qui Caesarem patrem interfecerant, damnatis aqua ignique interdictum erat.* Iudicia vocat *legitima,* quia lege Pedia Q. Pedii consulis constituta erant. Nec tamen Caesar ipse quemquam accusavit, sed amici eius, ut C. Cassium constat ab Agrippa esse postulatum. Vide Vellei. II, 69 et Appian. III, 95. Lenius autem dicit, quam res erat, *in exilium expuli*; est enim iis aqua et igni ita interdictum, ut nullus tutus exilii locus concederetur, bonaque publicata: hoc certe constat, omnes ut capti sunt, esse necatos.

Praeterea illud animadverte, quod callide dicit *occidissent* vel *interfecissent*, coniunctivo modo. Neque enim omnes vere occiderant, cum nonnullos ne Romae quidem illo tempore fuisse notum esset, ut Sex. Pompeium, qui tamen, ut particeps coniurationis, damnatus est. Vide Dion. XLVI, 48 et Appian. bell. civ. III, 95.

12. *bellum inferentis*, M. Brutum maxime et C. Cassium, qui provincias suas contra leges tenebant; prius enim a senatu datae Caesaris iussu ademptae sunt. Quid sequi oporteat cum apertum sit, quia nemo tamen verba ipsa quae fuerint praestare potest, ab explenda lacuna abstinuimus.

14. *arma terra marique moventes.* Lacunam, quae in exemplis post MARIQVE relinquitur, cum Gronovius parum apte explesset *Romana*, quasi Augustus alia arma praeter Romana ferre potuerit, Chishullus explere noluit. Equidem cum verbum deesse intelligerem, aptissime *moventes* suppleri posse existimavi.

*signaque toto orbe terrarum inferentes vici.* Iam Gronovius scripserat *signaque*, secutusque eum est Chishullus; sed iidem quod coniecerant in extremo hoc versu *circumtuli*, ideo minus probo, quia eo nec spatium, quod relinquitur, expletur, et cum sequatur *victorque*, antecedere oportet significationem aliquam victorum hostium. Quod in Lucasiano exemplo legitur *toto in orbe terrarum*, num rectius sit quam quod cetera habent *toto orbe*, discerni nequit; est enim utrumque aeque Latinum et aptum. Quaeritur autem, quae bella hoc loco dicantur. Gronovius quidem ea videtur intelligere, quae Augustus pro imperio populi Romani proferendo gesserit, quod ita esse nequit. De civilibus enim bellis dici demonstrat, quod sequitur *civibus peperci*, ac numerum militum, quem deinde habet, non eorum esse omnium, quos per totum imperii sui tempus habuit, sed eorum modo, quibus in bellis civilibus praefuit, infra exponemus. Atque video, nusquam in hoc monumento commemorari bellum Sexti Pompeii et M. Antonii Actiacum, quatenus civilia arma in iis versata sunt; nam infra V, 1 et 31 praedones modo, qui Sex. Pompeio, et reges peregrini, qui M. Antonio se adiunxerant, significantur. Neque horum bellorum civilium commemorandorum minus erat honesta species, quam eius, quod Brutus et Cassius intulerunt. Iam hi, Sex. Pompeius et M. Antonius verissime dicuntur toto orbe terrarum arma movisse, siquidem Pompeius totum mare internum occuparat, Antonius autem praeter Graeciam etiam Asiam totam et Aegyptum tenebat.

15. *omnibus supplicibus civibus.* Sic Chishullus rectius longe, quam Gronovius qui *superstitibus* scripsit. Quamquam illud etiam non immerito paulo superbius videatur, nec multum gloriae supplicibus parcere. Quare conieceram aliquando *captivis*, paululum mutatis extremis litteris, quae in exemplo Tournefortiano servantur, cum in ceteris ne lacuna quidem relinquatur. Dicuntur autem ii cives, quos Caesar primum post Philippicam, tum post Actiacam pugnam in deditionem accepit. Post illam quid factum sit, vide apud Appian. bell. civ. III, 135; de hac Vellei. II, 86, *victoria vero fuit clementissima nec quisquam interemptus est, paucissimis exceptis, qui deprecari quidem pro se non sustinerent*; nec discrepat Dio LI, 2, etsi vi-

detur aliter dicere: *τῶν τε βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων τῶν τε ἄλλων τῶν κορυφαίων τῶν συμπραξάντων τι τῷ Ἀντωνίῳ πολλοὺς μὲν χρήμασιν ἐζημίωσε, πολλοὺς δὲ καὶ ἐφόνευσε, καί τινων καὶ ἐφείσατο*, et rursus post mortem Antonii Aegyptumque captam LI, 16 *τῶν τε ἄλλων τῶν τὰ τοῦ Ἀντωνίου μέχρι τότε πραξάντων τοὺς μὲν ἐκόλασε* (i. e. pecunia multavit), *τοὺς δὲ ἀφῆκεν ἢ δι' ἑαυτὸν ἢ διὰ τοὺς φίλους.* Nam turbae militum parsum esse dicit ipse libr. LI, 3.

*et in exilio diuturno degentes.* Errore in exemplo Lucasiano lacunae significatio videtur deesse, ex quo haec enotantur: PEPERCI.EXTI, ut EXTI nihil sit nisi EXIL, quod in reliquis exemplis invenitur. Ipsam lacunam parum recte Gronovius explebat *(etiam) ex il(lustribus) gentes, quibus tuto (licebat), servari quam occidere (malui)*; rectius longe Chishullus *(et in) exil(io sponte sua de) gentes,* quod accepissem, nisi intelligerem neminem certe tunc sponte sua in exilio fuisse. Veteris reipublicae Romanae temporibus ita fiebat, ut, qui rei erant, nonnunquam sponte sua solum verterent potius quam iudicium expectarent; at civilium bellorum tempore nulli tales erant exules. Quare scripsi *in exilio diuturno,* nec tamen ita, ut non libenter concessurus sim, si quis melius aliquid invenire possit. Cogito autem de iis exulibus, qui cum Sexto Pompeio fuerant, qui pace anno 39 a. Chr. (715 ab urb.) facta restituti sunt. Paulo post scripsi *quibus tuto parcerem* (i. e. parcere possem), *malui servare quam occidere,* ubi Gronovius et Chishullus cum, quam ego maiorem lacunam statui esse post *tuto,* in extremo versu esse putarent, parum Latine scripserant *quibus tuto licebat, servari quam excidere malui.* Denique non dubitavi Lucasianum exemplum sequi, in quo solo est *servare quam occidere,* cum reliqua habeant *servari* et *excidere.* Nam cum servandi ratio h. l. eadem prorsus sit quae occidendi, cur in altero ponatur passivum, in altero activum, intelligi nequit, nec facile homo dicatur excidi.

16. *in iis bellis millia civium Romanorum — quingenta.* Haec supplementa omnia sunt Gronovii, probata a Chishullo, praeter ea, quae ab initio sunt *in iis bellis.* Numerus militum Augusti cum pro eo, quod vs. 18 servatum est TA, possit variari inter triginta et inter nonaginta millia, recte tamen a Gronovio videtur esse constitutus, sed fallitur idem cum omnium civium Romanorum, qui non solum his bellis civilibus, sed etiam deinde per quadraginta annos sacramento Augusti adacti sunt, non maiorem fuisse numerum statuit. Facile enim Philippico et Siculo et Actiaco bello quingenta millia civium Romanorum efficiuntur. III viri enim, cum Bononiae coniurarent, habebant 43 legiones, ex quibus constitutum est, ut Lepidus in Italia ad urbis praesidium mansurus tres haberet, reliquae aequaliter inter Antonium et Caesarem dividerentur (App. bell. civ. IV, 3). Habuit igitur tum Caesar 20 legiones. Quae cum completae essent et omni modo instructae, profectus est contra Brutum et Cassium, qui 21 legiones ad Philippos collectas habebant (App. l. l. c. 108). Eae omnes paulatim per exercitus III virorum divisae sunt (App. l. c. 135). Hoc bello peracto magna pars veteranorum dimissa est, ut ex III virorum exercitu, qui

item fuerat 21 legionum, cum deditis τυραννοκτόνων copiis coniuncto fierent 11 legiones, ex quibus Caesar tres accepit (App. bell. civ. V, 3), sed nonnullas alias in Italia fuisse relictas ex Appian. l. l. c. 22 intelligitur. Tum deducta maxima militum parte in colonias bellum Perusinum exarsit novique delectus instituti sunt (App. bell. civ. V, 27). Eo bello victor Caesar accepit 6 legiones L. Antonii (App. l. l. c. 24), et 11 legiones, quibus Calenus praefuerat (App. l. l. c. 51) et 2 legiones Munatii Planci (App. l. l. c. 50), adeo ut supra 40 legiones haberet (App. l. l. c. 53). Secutum est Sex. Pompeii bellum, quo Caesar 22 legiones Lepidi occupavit (App. bell. civ. V, 123) aliasque quasdam Sex. Pompeii. Adde his Actiacum M. Antonii exercitum 21 legionum, qui Caesari prope integer traditus est, et quae aliae in Asia et Aegypto in eius potestatem venerunt legiones. Sic quamquam accurata huius rei ratio iniri non potest, facile tamen plus quam 100 legiones Caesaris efficiuntur, quas si quinis millibus civium Romanorum singulas constitisse existimes, fiet ille numerus, qui vulgo ponitur. Omnes autem ii exercitus, quibus Augustus per totum imperium suum praefuit, facile altera quingenta millia civium expleant. Quae cum ita essent, intellexi significationem aliquam bellorum civilium h. l. esse efficiendam. Atque Cossonius in extremo versu 16 habet *servari quam excidere in*, Lucas *servare quam occiderem*. Hinc ego non audacius quam illi, qui *malui* expleverunt, *in iis bellis* scripsisse videor.

18. *deduxi in colonias*. Fecerat id et inter bella civilia et iis finitis. Quae autem infra III, 19 commemorat centum et viginti millia deductorum in colonias militum, dubium est, num sola in agris ab eo constituta sint.

*stipendiis solutis*. Lacunam hanc, ut alteram eiusdem huius versus, expleverat Gronovius, recteque secutum esse opinor Chishullum. *Stipendia solvere* h. l. est pecuniam pro stipendiis solvere. Alia ratio est infra III, 30.

19. *aliquanto plura*. Sic Gronovius, Chishullus *plus*. Utrumque cum aeque probari possit, hoc praetulimus propter III, 21.

20. *pecuniam pro agris*. Reliqua supplementa Chishulli vs. 19 usque ad vs. 21 accepi; sed hoc loco quod secundum Gronovium scripsit *pecuniam propriam*, probare nequeo. Nam *pecuniam alicui propriam dare* Latine nihil esse potest nisi *pecuniam alicui ita dare, ut sit eius propria*, quae significatio longe ab hoc loco abest. Nec *propriam* est ita scriptum in ullo exemplo, sed, cum Chishull. et Cosson. superesse dicant PROPR . . . . , Lucas habet PROEPR . . . . . , unde auctoritatis aliquid asciscit suspicio, fuisse PRO AGR[IS], quae sententia ipsa prorsus confirmatur. Notabile etiam illud *ex me*, quod non ad pecuniam modo, sed etiam ad agros pertinet, quos sua pecunia emptos divisit. Vide infra III, 22 sqq.

*longas naves cepi sescentas*. Proelio Actiaco captas esse trecentas naves tradidit ipse Augustus in commentariis suis apud Plutarch. Anton. c. 69; nec tamen pauciores Sexti Pompeii bello captae sunt, siquidem ad maximum illud proelium navale, quo de Sicilia discernebatur, Appian. bell. civ. V, 118 scribit trecenas utrimque naves esse delectas, ex quibus idem auctor c. 121 ait septendecim effugisse,

duodetriginta submersas esse, ceteras aut naufragium fecisse aut captas esse, unde circiter ducentarum navium captarum numerus efficitur. Adde multas alias naves in eiusdem belli minoribus proeliis et in bello Antonii captas, et intelliges numerum ab Augusto nequaquam poni nimium. Nec post Actiacum bellum ullum gessit aliud Augustus, quo capere posset longas naves, nonnulla, quibus posset perdere.

22. *bis ovans triumphavi, tris egi curulis triumphos.* Recte illustrat haec Chishull. allato Sueton. Aug. c. 22 *Bis ovans ingressus est urbem, post Philippense* (anno 42 a. Chr., 712 ab urb.) *et rursus post Siculum bellum* (anno 36 a. Chr., 718 ab urb. Idib. Novembr.). *Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes* (i. e. ann. 29 a. Chr., 725 ab urb., mense Sextili). Cf. pleniorem horum triumphorum descriptionem apud Dion. Cass. LI, 21.

*et appellatus sum viciens et semel imperator.* Cetera in hoc versu cum Gronovius ita explesset, ut Chishullus postea recte scripsit, nescio cur hoc loco omiserit *sum*, quod Chishull. addidit. Quotiens imperator appellatus sit Augustus, tradit etiam Tacit. Annal. I, 9 *nomen imperatoris semel et viciens partum*: id singillatim quando quodque partum sit, docet Eckhel. in Doctr. numm. T. VI, p. 140 sqq.

23. *cumque pluris* sqq. Pauca de hac Augusti consuetudine a scriptoribus traduntur. Bis enim modo Dio Cassius narrat laurum deposuisse Augustum, semel in Iovis Capitolini templo anno 13 a. Chr., 741 ab urb. (Dio libr. LIV, 25), deinde anno 8 a. Chr., 746 a. Chr. (libr. LV, 5) in Iovis Feretrii templo praeter consuetudinem, a qua cur discesserit, vide apud Reimarum ad Dion. l. l. Praeterea idem Dio libr. LVI, 17 narrat anno 9 p. Chr. (762 ab urb.) domita Pannonia triumphum esse decretum Augusto, quo spreto eum laurum modo in Capitolio deposuisse ex hoc loco monumenti Ancyrani discimus. Semper illud quidem fecerant imperatores triumphantes, ut sacrificio in Capitolio rite peracto laurus fascibus detractas in gremio Iovis deponerent; hoc unum servavit Augustus cetera triumphi pompa spreta. Cf. Lipsii excursum D. ad Tacit. Annal. libr. II. Ceterique imperatores retinuerunt hunc morem Augusti, ut de Domitiano Sueton. c. 6 *De Cattis Dacisque duplicem triumphum egit: de Sarmatis lauream modo Capitolino Iovi retulit.* Cf. Suet. in Ner. 13 et Plin. panegyr. c. 8. Ceterum Chishullus spatii explendi causa parum recte scripsit *tantummodo* addiditque ab initio vs. 24 *tamen*; Gronovius, qui versuum lacunarumque rationem nesciret, *semper tantum laurus deposui,* omissis iis quae sunt *iis agendis supersedi.*

24. *votis, quae pro republica quoque bello nuncuparam, redditis.* Sic equidem hoc loco scribendum esse coniicio, quem a prioribus editoribus vel neglectum vel falso suppletum esse intelligam. Gronovius, cum *nunc(iato)* emendaret, cetera intacta relinqueret, recte perspexit, haec non ad ea, quae sequuntur, pertinere, sed aut ad ea, quae antecedunt, aut per se constare. At Chishullus cum coniiceret *Delmatis et Illuriis quoque bello nunc perdomitis,* intelligens bellum anno 33 a. Chr. (721 ab urb.) compositum, totam sententiam perdidit. Nam nec particula *nunc* ad ea

pertinere potest, quae ante annos quadraginta sex quam haec scripta sunt, gesta erant, nec *quoque* suo loco positum est, nec denique h. l. de uno bello, sed de omnibus universe dicit. Quare cum *nunc* ferri non posse intellexissem nec Gronovianum *nunciato* placeret, explevi *nuncuparam*; quod unum ubi conceditur, reliqua quasi necessario sequuntur. Sollemnis autem est formula *vota reddere*; vide Cic. de legg. II, 9, 22.

25. *ob res aut ductu meo aut per legatos auspiciis meis.* Sic recte a Chishullo suppletum esse docet Sueton. in Aug. c. 21 *domuit autem partim ductu partim auspiciis suis* etc. Gronovius minus recte coniecerat *ob res amplas per duces ac legatos.*

26. *que .......... quiens.* Sic Cosson. et Lucas narrant esse in lapide; quare Chishullus quod parum apte explet *quaesitamque bello requiem,* vereor, ut in exemplo Tournefortiano invenerit. Quodsi verum est *quiens,* necesse prope est hoc expleatur *quinquiens,* antecedatque *quinquagiens,* itaque scripsit Gronovius: verum numerus ille suspectus mihi est, primum quod cum Augustus viciens et semel imperator appellatus sit, non intelligo, quomodo supplicationes, quae res cum imperatorio nomine coniuncta est, quinquagiens et quinquiens decerni potuerint, deinde quod, cum pluribus senatus consultis ad eas supplicationes decernendas opus fuerit, unum modo versu 28 commemoratur. Quare quid scriptum fuerit nescio. Videtur autem exquisitum aliquid et singulare significari. Equidem in Augusto invenio hoc primum esse usurpatum, ut non semel eius nomine supplicatio haberetur, sed certis quibusdam temporibus quotannis, de qua re cf. Dio Cass. LI, 19. Hoc denique intelligo non recte statuere Chishullum, vs. 28 et 29 dici, in quot deorum templis supplicationes habitae sint, quare coniicit *in deorum dearumque templis circiter trecentis,* sed summam indicari dierum, per quos supplicatum sit.

30. *ter deciens.* Non dubium est, quin haec ad Augusti consulatus pertineant, quos tredecim adeptus est, itaque supplevi. Verum insequenti versu incertum, num *tribunicia potestas,* quae iterum delata infra II, 20 commemoratur, an *censoria* dicatur, de qua in extrema tabula prima scriptum fuisse et interpretatio Graeca et ea, quae ab initio tab. II sunt, ostendunt.

## TABVLA SECVNDA.

1. *patriciorum numerum auxi.* Bis narratur id fecisse a Dione Cassio, primum consul II anno 33 a. Chr. (721 ab urb.), quo tempore non multos allegit. Dio XLIX, 43 *ἐς τὸ τῶν εὐπατριδῶν γένος ἐκ τοῦ πλήθους τινὰς ψηφισαμένης τῆς βουλῆς ἐσήγαγεν.* Rursus extremo anno 30 (724 urb.) post devictum Antonium L. Saenius, inde a Kal. Novembr. consul suffectus, ex senatus auctoritate, ut moris erat, legem ad populum tulit, ut patriciorum numerus ab Augusto augeretur. Vide Tacit. Annal. XI, 25. Auxitque Augustus anno insequenti, quo consul quintum erat, qua de re

sic Dio LII, 42: τό τε τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυσε τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι, qui senatus modo consultum, non legem commemorat. Hoc autem loco Augustus alterius modo allectionis mentionem fecit, ideo, opinor, quia priorem pro triumviratus sui iure fecerat.

2. *senatum ter legi.* Antiquitus lectio senatus cum censu omnium civium Romanorum coniuncta erat, quare proprie quotiens census actus est, totiens senatus lectus est eaque causa est, cur tempora, quibus senatum legit, Augustus non apposuerit nec Sueton. vit. Aug. c. 27 separatim senatus lectiones commemoret. Primam senatus lectionem Dio Cass. LII, 42 narrat anno ante lustrum conditum factam esse i. e. anno 29 a. Chr. (725 ab urb. cond.), dupliciterque quasi tum senatum lectum esse tradit Sueton. in Aug. c. 35, ut affluens et deformis ordo ad pristinum splendorem redigeretur. Altera lectio a Dione LIV, 35 anno 11 a. Chr. (743 urb.) ponitur, quo tempore ille census inceptus est, cuius lustrum conditum est triennio post anno 8 a. Chr. (746 urb.). Tertia denique videtur esse ea, quae commemoratur a Dion. LV, 13, quae cum eo lustro, quod initio anni 14 p. Chr. (767 urb.) conditum est, coniuncta esset, a Dione ponitur anno 4 p. Chr. (757 urb.). Vide C. Hoeckium in histor. imperat. Roman. Vol. I, 2 p. 409 breviter, sed recte ea de re disserentem. Extraordinariae autem quaedam quasi lectiones senatus erant illae, quarum a Dione LIV, 13 et LIV, 26 mentio fit, quas Augustus pro praefectura morum perpetua, quam susceperat, instituit.

*censum — egi.* De omnibus Augusti censibus breviter Sueton. Aug. c. 27 *Recepit et morum legumque regimen perpetuum, quo iure quamquam sine censurae honore censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus.* Primum censum, qui factus est anno 28 a. Chr. (726 urb.), quo anno Augustus sextum, M. Agrippa iterum consules erant, commemorat Dio LIII, 1.

3. *post annum alterum et quadragensimum.* Tot anni sunt a novissimis censoribus Cn. Lentulo et L. Gellio, qui lustrum condiderunt anno a. u. 684 (70 a. Chr.) Sic Casaubonus. Censa fuerant illo censu 910,000 civium capita. Cf. C. G. Zumptii scriptionem academicam Über den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum, p. 28. De industria autem ait *lustrum* non esse factum ex 42 annis; multa enim, quae ad censum pertinerent et censorum essent, necessario tanto temporis spatio, quo nulli censores erant, agenda fuisse apparet, taliaque extra ordinem consulibus et praetoribus a senatu mandari consuevisse constat ex Cic. in Verr. II, 1, 50. Eaque ipsa causa est, cur Augustus, qui ipso censurae honore uti nollet, aut in consulatu suo aut cum imperio consulari censum perageret.

4. *capita quadragiens centum millia et sexaginta tria millia.* Numerus est 4063000 civium Romanorum, et quidem omnium, non eorum modo, qui aut in Italia aut Romae essent. Superiores in libera republica census eorum tantum fuerant, qui sponte sua profitebantur nec aberant ab Italia, nec veteres censores curabant, si qui censeri nollent, quia honos modo censu quaerebatur, non tributum imponebatur.

Cf. C. G. Zumpt. libro laudato p. 30. Non recte autem hunc monumenti Ancyrani numerum interpretati sunt Syncellus ed. Bonn. p. 593 et Scaliger ad Euseb. Chronicon p. 153ᵃ, cum *quadragiens centum millia,* pro quo vulgaris usus sane *quadragiens centena millia* postulabat, non coniungentes centum millibus numerum ab Augusto traditum augent. Notavit errorem C. G. Zumpt. libr. laud. p. 29. Memorabile autem hoc loco est exempli Busbequiani vitium, quod vs. 4 habet *censita,* solum quidem, et ita, ut infra vs. 6 et 10 habeat *censa.* Non commemorarem, nisi hinc illam formam in lexica Latina transisse viderem, ut in Freundianum.

5. *alterum — lustrum.* Factum est anno 8 a. Chr. (746 urb.), a nullo alio praeter Augustum ipsum commemoratum: nam eos census, qui habiti sunt in provinciis, diversos fuisse ab civium Romanorum censu, iam constat. Vide imprimis C. Hoeckium in histor. imperat. Roman. I, 2 p. 392 sqq. Censum autem ipsum iam triennio ante lustrum conditum inceptum esse demonstrat Dio LIV, 35, qui anno 11 a. Chr. (743 urb.) de eo narrat. *Consulare imperium* ipse Augustus edicto, quod de censu agendo proposuit, videtur ascripsisse, ut in alio simili edicto de censendis Italicis proconsulare imperium ascripsit (Dio Cass. LV, 13). Acceperat autem Augustus perpetuam consularem potestatem anno 19 a. Chr. (735 urb.), ut etiam, cum non esset vere consul, imperio consulari uteretur. Vide Dion. LIV, 10. Numerus civium tum censorum est 4233000. Supplementa autem huius loci a vs. 5 usque ad vs. 9 omnia sunt Gronovii, qui ex Busbequiano exemplo quamvis corrupto rectissime omnia correxit, praeterquam quod vs. 5 cum spatium versuum ignoraret, scripsit *alterum item.* Nam unum id, quod Chishullus initio vs. 6 ad lacunam quam esse putabat explendam addidit *censumque,* reiiciendum esse utique equidem censeo. Primum in primo et in tertio lustro *censum* non addit Augustum, deinde censum quidem non uno anno perfectum, sed per plures deinceps actum esse modo demonstravimus, denique census antecedere debuit lustrum, non sequi. Quare nullam lacunam esse statuo, nihil deesse, nec pauciores litteras in hoc versu relinqui intelligo quam in aliis, quos plenos esse constat, ut in nono. Sed addo etiam duas litteras Chishulliano exemplo ita ut praenomina consulum addam; neque enim aut per se decet ea deesse nec Augustus unquam omisit. Vide III, 28 sqq. et 35 et 40. Neque id sine aliqua auctoritate facio; nam apud P. Lucam est SOLVS.FECI.ECESORIM, quod apparet emendandum esse FECI.C.CENSORINO. Id autem quia male legerat Busbequius, effecerat et hoc loco, et supra vs. 3 et infra vs. 9 SOLVS.FECI.LEGI.

8. *tertium — lustrum,* conditum est ann. 14 p. Chr. (767 urb.) paulo ante mortem Augusti. Cf., quae de ominibus in lustro condendo factis narrant Suet. Aug. c. 97, Dio LVI, 29.

9. *conlega Tib. Caesare.* Nam *per consules lex lata erat* anno 13 p. Chr. (766 urb.), *ut provincias* (Tiberius) *cum Augusto communiter administraret simulque censum ageret,* Sueton. Tib. c. 21. Cf. Vellei. II, 121.

10. *quo lustro — septem millia.* Gronovius et Chishullus priorem versum sic expleverant: *quo lustro et(iam censa sunt Ro)manorum capitum,* in quibus duae res displicent. Primum enim quo pertinere dicemus *etiam*? Numerus civium hoc censu inventus est alius ac superioribus, nec eo potest referri *etiam*, quod item cives censi sint. Nam in iis solis consistit census. Tum quis unquam audivit de *Romanis capitibus*? quae certe *capita Romana* esse oportuit. At solum Cossonianum exemplum habet QVO.LVSTRO.ET...... MANORVM, contra Lucasianum QVO.LVSTRO.CE...... MANORVM, quae sic explenda sunt *quo lustro ce(nsa sunt civium Ro)manorum capitum* cet. Supra Augustus bis dixerat *capita quadragiens centum millia,* proprie contra grammaticorum praecepta, qui substantiva plurali *millia* genitivo casu addi iubent, sed ideo excusatur, quod anteposuit. Hoc autem loco quid prohibebat astringere magis orationem? Numerus civium censorum a Gronovio et Chishullo ponitur *quadragiens centum millia (trig)inta et septem millia,* ideo quia in Busbequiano exemplo superest . . . IGINTA, quod idem tamquam in Tournefortiano esset, Chishullus posuit. At Cossonianum et Lucasianum habent . . . . . GINTA, ut ita incertum fiat, quid supplendum sit. Iam cum illum numerum, qui de hoc censu est apud Scaligeri Hieronymum, *nonagiens tercentena millia* falsum esse constet, accedit ad veritatem is, qui invenitur apud Eusebium Graecum edit. Armen. p. 263, qui quadragiens et centum nonaginta millia centum septendecim ponit, unde si deducas centum millia, illo de quo supra dictum est errore addita, efficietur, ut, si in hoc monumento scribas *quadragiens centum millia nonaginta et septem millia,* uterque numerus fere conveniat. Itaque h. l. scribendum esse coniecit Hoeckius in histor. imperii Rom. I, 2 p. 411. Nec iam Suidas s. v. Αὔγουστος quod de hoc censu tradit, multum discrepabit et quod apud Hieronymum est, quomodo ortum sit, intelligetur.

12. *Legibus novis latis exempla maiorum exolescentia revocavi.* Priora iam Gronovius suppleverat, *revocavi* Chishullus recte, ut opinor; similiter enim Sueton. in Claud. c. 22 *exoleta revocavit,* idem saepius *revocare morem* (in Calig. c. 16) et *consuetudinem* (in Domit. c. 7). Singillatim leges, quibus Augustus studuerit Romanorum mores ad pristinam integritatem et virtutem, quae iamiam exolescebat, reducere, nihil attinet referre; nam studium eius universum quale fuerit apparet idque saepe cum a ceteris, tum ab Horatio praedicatur, ex quo imprimis Carm. 5 libr. IV laudat ad hunc locum Chishullus.

*et fugientia iam ex nostra memoria — proposui.* Aliter haec constituerat Chishullus, qui, cum in annotatione coniecisset *et fugientia iam ex nostro conspectu — imitanda proposui,* in addendis suspicatus est extrema ita explenda esse *imitanda ad exercituum et provinciarum rectores et magistratus et sacerdotes misi.* Sed hoc nemo verendum est ne credat, quamvis Sueton. in Aug. c. 89 scribat, Augustum saepe praecepta et exempla publice vel privatim salubria ex Graecis Latinisve auctoribus excerpta ad exercituum provinciarumque rectores aut ad urbis magistratus misisse;

nam magistratus non soli sunt urbani, nec de sacerdotibus ulla in hoc genere apud Suetonium mentio nec denique satis recte exempla sola, si non addantur praecepta, dicuntur mitti ad magistratus. Probavi igitur priorem potius Chishulli coniecturam, sed ita, ut scriberem *ex nostra memoria* (obliviscebantur enim Romani, quales maiores fuissent ideoque commonefiebant ab Augusto), et spatii recte explendi causa adderem *edictis meis*. Refert enim hoc Sueton. in Aug. c. 89: *Etiam libros totos et senatui recitavit et populo notos per edictum saepe fecit*, cf. eund. c. 31 *Proximum a diis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent.*

14. *magistratus et sacerdotes commodis et dignitate auxi.* Paucae litterae ubi supersunt, cum difficile sit, quid scripserit Augustus, invenire, fieri tamen potest, ut, qualis sententia universa fuerit, reperiatur. Ideo explere hunc locum conati sumus, non ita ut verba ipsa praestemus, sed ut sententiam assecuti esse videamur. Apparet autem Augustum primum exponere, quid in republica egerit, tum addere, quid ei propter ea merita honoris a senatu populoque Romano tributum sit: res gestas ipsas non singillatim hoc loco recenseri arbitror, sed, ut in principio imperii sui enarrandi fieri oportebat, principia modo poni, quae postea secutus sit: ex honoribus etiam ii modo hoc loco commemorantur, qui aut statim post pugnam Actiacam aut non multo post ei delati sunt. Quod autem existimo Augustum de magistratuum et sacerdotum commodis et dignitate auctis dicere, de sacerdotibus certe testis est Sueton. in Aug. c. 31 *Sacerdotum et numerum et dignitatem, sed et commoda auxit*; similiaque de iis tradit Dio LI, 20.

15. *plebem multis beneficiis affeci.* Sic supplevi cum superesse dicantur in exemplis Lucasiano et Tournefortiano . . V . TIS . . . . EFEC . . . . . , una littera, quam saepius commutari in hoc monumento observarim, mutata. Videtur autem Augustus ea maxime beneficia dicere, quae largitionibus, quas infra Tab. III. recenset, continebantur.

15. *ob ea merita — pro valetudine mea.* Certum mihi est, Chishullum in hoc loco intelligendo deceptum esse, qui cum ex Dione LIII, 1 didicisset, certamen quinquennale Actiacum celebratum esse per quattuor amplissima collegia eaque ipsa vs. 16 commemorari videret, faciendum esse putabat, ut de illo cogitaret. Nec tamen explere locum ausus est. Nos intelligimus haec pertinere ad ea, quae Dio LI, 19 tradit anno 30 a. Chr. (724 urb.) a senatu decreta esse: *τούς τε ἱερέας καὶ τοὺς ἱερείας ἐν ταῖς ὑπέρ τε τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς εὐχαῖς καὶ ὑπὲρ ἐκείνου ὁμοίως εὔχεσθαι.* Constatque, vota publica pro salute imperatorum, cum ab initio ipsis Kalendis Ianuariis fieri solerent, postea translata esse in a. d. III. Non. Ianuarias, eaque ab omnibus sacerdotibus habita esse. Vide de iis, ut eum citem, qui novissime de hac re scripsit, G. Marinium in Actis fratrum Arvalium p. 56. Haec igitur primum illo, quo Dio l. l. significat, anno instituta, etiam per temporis rationem aptissime hoc loco commemorantur. Itaque supplevi ita, ut scriptum est in tabulis ipsis: qua in

re unum molestum erat, quod mutandum erat, quod apud Lucam et apud Tournefortum est vs. 17 . . . MPEIAM, sed necessario ita faciendum est, quia tradita si conservare velis, nihil potest suppleri nisi *Pompeiam*, quod parum aptum esse facile apparet. Nec magna erat mutatio, in his praesertim huius monumenti exemplis. Neve quis existimet non posse ferri quod legitur vs. 18 *pro valetudine mea*, cum constet sollemnem formulam in his votis nuncupandis fuisse *pro salute principis* (vide Gaium in Digg. de verbor. signif. l. 23 § 1), conferatur nummus ille, quem Eckhel. in Doctr. Numm. Tom. VI p. 104 recte ad haec vota videtur referre, in quo est *pro valetudine Caesaris*.

18. *nomenque meum inclusum est in Saliare carmen*. Sic restituit G. Marinius in Act. frat. arval. p. 596. Notum est, postea principum liberos mortuos nonnunquam in illud carmen insertos esse, ut Germanicum, Tiberii filium, apud Tacit. Annal. II, 83, ut Verum, M. Antonini filium, apud Spartian. in M. Aurel. c. 21. Ex hoc autem monumento discimus, quomodo intelligendus sit Dio Cass. LI, 20, qui inter honores Augusto anno 29 a. Chr. (725 urb.) habitos hoc refert: ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐσγράφεσθαι.

19. *et sacrosanctus iudicatus sum*. Datum hoc Augusto anno 36 a. Chr. (718 urb.), ut testatur Dio XLIX, 15 ἐψηφίσαντο τὸ μήτε λόγῳ μήτε ἔργῳ τι ὑβρίζεσθαι, εἰ δὲ μή, τοῖς αὐτοῖς τὸν τοιοῦτόν τι δράσαντα ἐνέχεσθαι οἷσπερ ἐπὶ τῷ δημάρχῳ ἐτέτακτο. Et haec poena lege sancita Appian. bell. civ. V, 132 decepit. Restituit autem hunc locum Io. Franzius.

20. *praetereaque tribunicia potestas — delata est*. Sic, ut scriptum est supra, hunc locum, quem Chishullus vacuum reliquerat, explendum esse iudicavimus. De tribunicia potestate Augusti dici constat, in qua non videtur fieri potuisse, ut, cum maxima fere in imperatore haberi soleret, eius acceptae tempus omitteretur. Adiuvatque emendationem nostram Lucasianum exemplum, in quo vs. 20 est TREA pro EREA, quod Chishullus habet, unde facile fit *praeterea*, tum vs. 21 . . . . MVS. NFITEREM IN . . . ., unde, si pauca emendes, fit id, quod posuimus PISONE. ITERVM.IN . . . . . Detulerat autem eam tribuniciam potestatem perpetuam senatus Augusto iam consuli quintum, cum victo Antonio Romam reverteretur (Dio LI, 19), sed non accepisse tum quidem Augustum ex multis et certissimis argumentis intelligitur. Iterum detulit senatus anno 23 a. Chr. (731 urb.), cum undecimo consulatu, quem cum Cn. Pisone gesserat, Augustus paulo ante Kalendas Iulias sese abdicasset et L. Sestium, veteris probitatis virum, qui M. Bruti aliquando partes secutus erat, in locum suum suffecisset. Accepit autem Augustus eam potestatem a. d. v Kal. Jul. (vide Norisii Cenotaph. Pisan. II, 5; Eckhel. Doctr. Numm. Tom. VI p. 91), inde a quo die anni tribuniciae eius potestatis numerari solent, quos triginta quinque Augustus explevit, sextum et tricesimum inchoavit.

21. *populo summum sacerdotium — procuraverat*. Ita iam Chishullus explevit, nisi quod Franzius, quia maius spatium relictum erat, addidit *summum*. Dici de

Augusti pontificatu maximo certum est. Iam anno 36 a. Chr. (718 urb.), victo in Sicilia Lepido potestateque ei dempta populus Augusto pontificatum maximum, quem ille per turbas civiles contra leges invaserat (Liv. epit. libr. CXVII), deferre voluerat (Appian. bell. civ. V, 131; Dio Cass. XLIX, 15 et LIV, 15), sed nec licebat vivo adimere pontificatum nec Augustus id facere sustinuit. Sueton. Aug. c. 31 *Postquam vero pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum recepit.* Cf. Senec. de Clement. I, 10. Mortuus autem est Lepidus anno 13 a. Chr. (741 urb.): at Augustus pontifex maximus electus demum anno 12 a. Chr. (742 urb.). Docet id Kalend. Praenestin. p. 23 ed. Foggin. Cf. Dio LIV, 27. Praeterea Ovid. Fast. III, 415 ipsum diem, quo id factum sit, indicat, prid. Nonas Iulias. Quare cum inter id tempus, quo primum oblatus est pontificatus maximus, et id, quo suscepit, anni viginti tres intercesserint, recte Augustus in hoc suarum rerum indice dixit *post aliquot annos* se suscepisse.

24. *cuncta ex Italia vota offerentibus municipiis* etc. Consules erant anno 12 a. Chr., quo Augustus pontificatum maximum accepit, *P. Sulpicius Quirinus* vel *Quirinius* (sic enim est in Kalend. Praenestino l. l.) et M. Valerius Messala Barbatus Aemilianus, ex quibus cum hic in magistratu mortuus esset, suffectus est C. Valgius Rufus; itaque in Kalend. Praenestino *Sulpicio Quirinio et Valgio Cos.* Augustus narratur pontifex maximus factus esse. Quae cum ita sint nec probabile mihi videatur esse, Augustum temporis, quo tantum honorem suscepit, notationem omissurum fuisse, dubium esse non potest, quin et consules, qui infra vs. 26 commemorantur, P. Sulpicius et C. Valgius ad tempus pontificatus maximi suscepti pertineant et omnia, quae intercedunt, ad eandem rem referenda sint. Itaque non probo Chishullum, qui, cum explere quidem hunc locum non auderet, cogitabat tamen sic esse explendum, ut de votis pro M. Agrippae valetudine factis diceretur, quem constat ipso illo anno 12 decessisse. Quod, etiamsi per ea quae supersunt, fieri posset, non arbitror Augustum commemoraturum fuisse, qui in hoc suarum rerum indice omnium propinquorum suorum exitus et honores et res gestas, praeter C. et L. Caesares, quos sua causa honoribus insolitis affectos esse scribit, silentio praetermittat. Nec de votis pro Augusti ipsius valetudine susceptis cogitandum est; neque enim notum est eum hoc anno incommoda valetudine usum esse nec pro valentis valetudine vota suscipiebantur nisi certis diebus. Accedit, quod, si de Augusti valetudine diceretur, esse oportebat *pro valetudine mea,* ut supra vs. 18 est; nam *pro mea valetudine* h. l. contra Latinitatem est. Quare nihil omnino de cuiusquam valetudine scriptum fuisse puto, sed sic totum locum expleo: *cuncta ex Italia (vota offerentibus municipiis ex consuet)udine, quanta Romae nun(quam ante facta esse narrantur, P. Sulpi)cio C. Valgio consulibus.* Vota nimirum haec et gratulationes fiebant pro pontificatu suscepto. Ignota mihi quidem peculiaris aliqua in pontificatu gratulando consuetudo, sed credibile sane est, ut ad eos, qui novum aliquem honorem adepti erant, gratu-

lantes amici convenire solebant, sic tum non Roma modo sed ex universa Italia Augusto pontificatum maximum auspicanti omnes vota obtulisse.

Vs. 25-29. Horum versuum Graeca interpretatio in fragmentis Apolloniae in Pisidia repertis extat. Vide infra. Ex ea nonnulla Latina restitui potuerunt.

27. *Aram Fortunae Salutari* sqq. W. A. Beckeri opinionem in enchiridio antiquitatum Romanarum Tom. I. p. 641 parum probabiliter expositam probare nequeo in ea sententia versantis, quasi una eademque ara saepius vel dedicari vel consacrari potuerit. Quod quidem longe ab veterum Romanorum religione abest; sed quot reditus Augusti votaque pro eo nuncupata extiterunt, totidem arae constitutae sunt. Fuerunt autem Augusti ab longioribus vel peregrinationibus vel expeditionibus inde ab eo tempore, quo solus rempublicam tenuit, reditus hi: I. anno 29 a. Chr. (725 urb.) mense Sextili victis Antonio et Cleopatra; II. anno 24 a. Chr. (730 urb.), confecto bello Cantabrico, circa mensem Ianuarium; nam Dio LIII, 28 narrat eum circa Kal. Ianuarias ad urbem appropinquasse; III. anno 19 a. Chr. (735 urb.) ex Asia (Dio LIV, 10) a. d. IV Id. Octobr., de qua re paulo infra dicemus; IV. anno 13 a Chr. (741 urb.) a. d. IV Non. Iul., de quo reditu item infra dicetur; V. anno 9 a. Chr. (745 urb.) a. d. III Kal. Febr., ex Gallia, cum rursus ara pacis dedicata est; VI. anno 7 a. Chr. (747 urb.) ludos votivos factos esse pro reditu Augusti narrat Dio LV, 8, qui videntur esse illi ludi, quos a. d. III. Non. Octobr. ponunt fasti Amiternini; VII. denique vota pro reditu Augusti nuncupata anno 8 p. Chr. (761 urb.) commemorat Dio LV, 34. Ex his reditibus ille hoc loco dicitur, qui anno 24 a. Chr. accidit. Graeca enim huius loci interpretatio, quae extat, haec est: Βωμὸν Τύχης Σωτήρ[ας] ὑπὲρ τῆς ἐμῆς ἐπανόδου πρὸς [τῇ] Καπηνῇ πύλῃ ἡ σύγκ[λητος καθ]ιέρωσεν, πρὸς ᾧ τοὺς ἱερ[έας καὶ] τὰς ἱερείας ἀν[ὰ πᾶν ἔ]το[ς ἱερὰ π]οιεῖν ἐκέλευσεν ἕνεκ[α . . . . . . ., ex quibus iam Franzius Latina prope omnia rectissime restituit. Dio autem LIII, 28 de eodem hoc reditu: ἀφικομένῳ δὲ ἐς τὴν Ῥώμην ἄλλα τινὰ ἐπί τε τῇ σωτηρίᾳ καὶ ἐπὶ τῇ ἀνακομιδῇ αὐτοῦ ἐγένετο etc., quae congruunt plane cum Graeca interpretatione, in qua ara Fortunae dicitur esse consecrata et ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου et propter aliam aliquam rem (ἕνεκα.....). Et constat in ipso illo bello Cantabrico, ex quo tum Augustus rediit, eum vehementissime valetudine tentatum esse. Iam, quae Graece est Τύχη σώτειρα, Latine erit *Fortuna Salutaris*, cuius si non multa, at aliqua monumenta in inscriptionibus Latinis extant (Orell. Collect. Inscript. Latin. n. 5024 et n. 5); nam *Fortuna Redux*, quamquam eius ara item pro salute et reditu alicuius poterat dedicari (vide infra ad vs. 30. 36.), Latine dicitur Τύχη ἐπαναγωγός (Dio LIV, 10). Haec igitur secutus locum ita, ut in tabula ipsa supra scriptum est, restituendum esse existimavi. Recte autem dicitur *prope aedes Honoris et Virtutis*; fuisse enim constat duas in eodem templo cellas, unam Honoris, alteram Virtutis. Vide W. A. Beckeri enchirid. antiq. Roman. Vol. I. p. 509.

30. *pro reditu meo in urbem* sqq. Quo haec pertinerent, rectissime iam Franzius intellexit. Nimirum anno 19 a. Chr. (735 urb.) Augustus lustrata Asia omnibusque provinciis transmarinis Romam rediit, de quo reditu sic narrat Dio LIV, 10:

*πολλὰ καὶ ποντεῖα ἐψηφίσθη· ὧν οὐδὲν προσήκατο πλὴν Τύχῃ τε ἐπαναγωγῷ (οὕτω γάρ πως αὐτὴν ἐκάλεσαν) βωμὸν ἱδρυθῆναι καὶ τὴν ἡμέραν ἣν ἀφίκετο, ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι,* atque in fastis Amiterninis a. d. IV. Idus Octobr. sic annotatur: LVDi IN.CIRCo FERiae EX.Senatus Consulto Quod Eo Die IMPerator CAESar AVGustus EX.TRANSMARINis PROVINCiis VRBEM.INTRAVIT.ARAQue FORTunae REDVCI.CONSTITuta. Atque eadem ara Fortunae Reducis commemoratur in nummis apud Eckhel. Doctr. nummor. Tom. VI. p. 100. Quo autem loco fuerit, non constat; quare necessario vs. 31 lacuna relinquenda erat. Tum insequenti versu vs. 32, cum et in Lucasiano et in Tournefortiano exemplo apud Chishullum quae quattuor litterae supersunt PARS, ferri et explicari posse nulla ratione existimarem, ausus sum levi mutatione adhibita ea inferre, quae in fastis Amiterninis de feriis ob hunc Augusti reditum constitutis commemorari viderem et totum vs. 34 et priorem versus 35 partem in mentione Augustalium institutorum versari existimo, nec tamen eam lacunam ita potui explere, ut syllabas vel litteras, quae superesse dicuntur, servarem. Hoc certum est, falli G. de Sainte Croix (in annalibus academiae Parisiensis Inscriptionum Tom. XLIX p. 736), qui cum vs. 33 PRIN superesse videret, in eo originem principatus Augusti explicari existimaret.

34. *Aram Pacis ad campum Martium* sqq. Certum est dici de anno 13 a. Chr. (741 urb.), idque aliquatenus iam Chishullus intellexerat, qui supplevit vs 35 *res in Hispania Galliaque provinciis prospere gestas,* quae conservavi, etsi molestus mihi erat singularis ille Hispania et Gallia, cum plures Hispanias et Gallias fuisse constet (vide infra Tab.V. vs. 5.). Sed hoc loco fieri non poterit, quin singularis feratur. Verumtamen illo quem dixi anno Augustus rebus Gallicis, Germanicis Hispanicisque omnibus compositis Romam rediit, cui cum senatus aram Pacis in ipsa curia consecrandam decrevisset, hoc honore recusato (Dio LIV, 25), consecrata tamen est in campo Martio a. d. IV. Non. Iul. ara Pacis Augustae. Testantur id kalendaria Amiterninum et Antiatinum, quorum illud haec habet: FER . EX . S. C. Quod Eo Die ARA . PACIS . AVGustae IN . CAMPo MARtio CONSTITVTA . EST . NERONE. ET.VARO.COS., brevius alterum mutilatisque verbis: ... ara paCIS.AVGVSTae CONSTITVTa. Secundum haec hunc locum constitui, usus etiam iis litteris, quae vs. 36 superesse dicuntur: . . . . NEP . QV . . . ita, quidem, ut mutarem nullam ex iis. At mutavi supra vs. 34, quod in utroque apographo superest... RAE, in A]RA[M.

36. *Aram Fortunae Reduci.* Dici de altera ara Fortunae Reducis ad campum Martium constituta colligo ex vs. 37, ubi *pro*) *reditu meo* et *ad cam*(*pum Martium*) superest, et fuisse talem alteram demonstrant fasti Amiternini, ubi ad a. d. XVIII Kal. Ian. haec notantur: ARA . FORTVNAE . REDVCI . DEDICata EST, quam aram Fogginius p. 136 non recte statuit ad Amiternum oppidum pertinere. Quando autem et ob quem reditum haec ara constituta sit, difficile dictu est. Equidem arbitror dici eam aram, quae vota est anno 16 a. Chr. (738 urb.), cum Augustus profectionem in Gallias instituit, de quibus votis sic narrat Dio LIV, 19: *ἐξελθόντων δ' οὖν*

*αὐτῶν (Αὐγούστου καὶ Τιβερίου) τὸ τῆς Νεότητος μέγαρον ὑπὸ τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα κατεκαύθη· καὶ διά τε τοῦτο καὶ διὰ τἆλλα τὰ προγενόμενα... εὐχὰς ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου τοῦ Αὐγούστου ἐποιήσαντο.* Nonnullique huius anni nummi extant apud Eckhel. Doctr. numm. Tom. VI. p. 103, in quibus est VOTa Publica SVSCepta PRO SALute ET. REDitu Iovi Optimo Maximo, et: IOVI. VOTa SVSCepit PRO. SALute CAESARIS. AVGusti S. P. Q. R et similia. Soluta esse constat haec vota anno 13 a. Chr. (741 urb.), cum Augustus redisset, ex inscriptione apud Grut. p. XI, 2, quo eodem anno ara Pacis, de qua vs. 34 dicitur, facta est. Memorabile autem in hac ara Fortunae, quod non modo pontifices et sacerdotes, ut supra vs. 28, sed etiam magistratus in ea sacrificium facere iussi sunt. Chishullus non recte vs. 37 scripserat: *pro* REDITV. MEO. COnsacrari ut AD. EAM, cum id, quod etiam apud Lucam est CAM, sine causa mutasset: ego nihil mutavi, nisi quod vs. 39, cum superesse dicantur.... IVM... C.. P, littera P in R mutata scripsi FA]C[E]R[ENT.

40. Hanc lacunam, quae inde a vs. 39 usque ad principium vs. 41 pertinet, nequeo equidem ita explere, ut ipsa verba quae fuerint, dicam, litterasque, quae in apographis servatae sunt, cum iis conciliem, sed quid scriptum fuerit, satis certum est. Oportet enim sequi de altera ara Pacis Augustae, quae a. d. III Kal. Febr. anni 9 a. Chr. (745 urb.) dedicata est, de qua nihil apud Dionem, at in fastis Praenestinis sic: FERIAE. EX. S. C. QVO[D. EO.]DIE. ARA. PACIS. AVGVSTA[E. IN. CAMPO.] MARTIO. DEDICATA [EST.] DRVSO. ET. CRISPINO. C[ONS.]. Eandemque rem tangit Ovidius Fast. I, 709 sqq., ubi haec extrema sunt: *Tura, sacerdotes, pacalibus addite flammis albaque percussa victima fronte cadat, utque domus, quae praestat eam, cum pace perennet, ad pia propensos vota rogate deos.* Nimirum anno ante, cum propter totum imperium per Tiberium et Drusum, Augusti privignos, pace compositum senatus censuisset Iani portas claudendas esse, subito turbata est pax Dacorum et Dalmatarum tumultibus (Dio LIV, 36), quos cum Tiberius et Drusus composuissent, noluit senatus iterum de Iano claudendo decernere, sed hoc decrevit, ut ara Pacis Augustae statueretur, ad quam sacerdotes quotannis sacrificarent publice. Ideo Augustus huic mentioni arae Pacis Augustae subiecit vs. 41 *quia per totum imperium populi Romani parta erat terra marique pax.* Sic enim ipse scribo, cum Chishullus haec tantum supplevisset: *pe)r totum i(mperium) populi Romani (parta est terra marique p)ax.*

42. *Cumque ab urbe condita — censuit.* Sententia quae esse debeat, satis constat; de verbis ipsis qualia fuerint, quaeritur paululum, in quibus est efficiendum, ut quam proxime accedant ad ea, quae in apographis Tournefortiano et Lucasiano superesse dicuntur. Chishullus cum in textu edidisset: *cum(que a condita urbe) I(anum Qui)r(inum) bis omnino clausum (fuiss)e prodatur eum (Senatus) per me principem (ter c)laudendum esse (iussit),* in additamentis, cum praeter alia maxime hoc requiri intelligeret, ut *ante se* Ianum bis clausum esse Augustus significaret, scripsit *cum (post Romam conditam) I(anum Qui)r(inum) bis omnino clausum (ante me*

*fuiss)e prodatur (memori)ae, ter me principe (c)laudendum esse decrevit senatus.* Haec sine dubio rectiora sunt, sed ideo minus probo, quod vs. 42 vocabulo *clausum* finiri ex utroque apographo constat; tum in vs. 43 maiorem lacunam esse video post illud, quod ibi est *principem,* in qua *senatus* collocandum esse putavi. Totum igitur locum ita, ut supra in tabula ipsa significavi, constitui. De rebus ipsis apparet, aptissime arae Pacis Augustae adiungi mentionem Iani clausi. De quo ipso praecipuus ex veteribus auctor est Sueton. in vita August. c. 22: *Ianum Quirinum, semel atque iterum a condita urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta, ter clusit.* Itemque Ianum ter ab Augusto clausum esse narrat Oros. libr. VI, 22 init., confusus alioquin in temporum notatione et id imprimis agens, ut eodem anno, quo Christus natus est, Ianum clausum fuisse demonstret. Verum plerique, ut Chishullus ad h. l., F. A. Wolfius ad Sueton. l. l. iam eversa Suetonii et Orosii auctoritate statuunt bis modo Augusto principe clausum esse Ianum eique sententiae ex ipso hoc monumento Ancyrano patrocinium quaerunt. Nam cum Augustus narret decrevisse ter senatum claudi Ianum, id ita coniungunt cum iis, quae Dio LIV, 36 tradit, extremo anno 10 a. Chr.: ἐψηφίσθη μὲν οὖν τὸν Ἰανὸν τὸν Γέμινον, ὡς καὶ πεπαυμένων τῶν πολέμων (ἀνέῳκτο γὰρ) κλεισθῆναι. οὐ μέντοι καὶ ἐκλείσθη· οἵ τε γὰρ Δακοὶ etc., ut doceant decrevisse quidem senatum claudi tertium Ianum, sed non esse clausum, Suetoniumque, qui hoc monumentum Ancyranum imitetur, deceptum esse. Verum nolim equidem auctori et veteri et in historia imperatorum versatissimo in re tam celebri errorem obiici. Atque ipse Augustus stultus certe fuisset, si commemoraret, quod senatus decrevisset ille quidem ut fieret, sed quod fieri non potuisset. Est igitur ter clausus Ianus. Quamquam quo tempore tertium clausus sit, utrum anno 9 a. Chr. (745 urb.), cum turbae illae, quibus excitatis impeditum esse scribit Dio, ne clauderetur, rursus sedatae essent, quo eodem anno ara Pacis Augustae dedicata est (vide supra ad vs. 40), an circa id tempus, quo Christus natus est, quod significat Orosius l. l., non discerno; sed hoc tamen mihi videtur veri esse similius, quia cum per eum tractum Dionis historia interciderit, perexigua alia illorum temporum memoria superest. Primum autem ab Augusto clausum esse Ianum constat anno 29 a. Chr. (725 urb.) post victoriam Actiacam (Dio LI, 20) et quidem pridie Idus Ianuarias (vide Foggin. ad fastos Praenestin. p. 10), iterum anno 25 a. Chr. (729 urb.), vide Dion. LIII, 26. Ante Augustum clausum fuisse notum est a Numa, tum anno 235 a. Chr. (519 urb.), vide Liv. I, 19; Vell. II, 38.

44. *Filios meos, quos sinistra fortuna mihi eripuit.* Aliter Chishullus hunc locum constituerat: *Inter fil)ios meos, quos sin(istra sors) mihi eripuit,* in quibus Latinitas parum constat, quia rursus sequitur genitivus *eorum.* Ex mea quidem ratione Augustus primum ponit totum, tum partem, eodem utrumque casu, itaque saepius Latine dicitur. Tum testamentum Augusti hoc initio usum esse narrat Sueton. Tiber. c. 23 *Quoniam sinistra fortuna Gaium et Lucium filios mihi eripuit.* unde intelligimus, non *sinistram sortem,* sed *fortunam* esse oportere. Habuit autem Augustus

praeter C. et L. Caesares filium etiam Tiberium Neronem, qui post eum imperavit, quem anno 4 p. Chr. (757 urb.) a. d. v Kal. Iul. (Vellei. II, 103; Foggin. ad fastos Praenestin. p. 122) sibi adoptavit illis mortuis; itemque M. Agrippam, quem simul cum Tiberio adoptavit, sed brevi ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit seposuitque Surrentum. Vide Sueton. Aug. c. 65; Tacit. Annal. I, 3 et 5. Mortui sunt C. Caesar a. d. IX Kal. Mart. anni 4 p. Chr. (757 urb.) Limyrae in Lycia (vide Noris. Cenotaph. Pisan. Diss. II c. 17), L. Caesar aut a. d. XIII Kal. Sept. anni 2 p. Chr. (755 urb.), quo die inferiae eius ponuntur in fastis Antiatinis, aut a. d. XIII Kal. Oct., quo die eum decessisse narrat fragmentum fastorum Gabinorum apud Marinium Act. fratrum Arval. p. 24 (Orell. n. 644). Cf. Lips. ad Tac. Annal. I, 3. In lacuna, quae est vs. 45, si quid intercidit (et notatur sane in utroque exemplo lacuna), tale aliquid scriptum fuisse opinor: *postquam eorum utrumque consul ipse in forum deduxi* vel *postquam utrumque consul ipse in forum deduxi*.

## TABVLA TERTIA.

1. *annum quintum et decimum agentis*. Natus erat C. Caesar anno 20 a. Chr. (734 urb.); vide Dion. LIV, 8; L. anno 17 a. Chr. (737 urb.); vide Dion. LIV, 18. Adoptavit eos statim Augustus heredesque imperii instituit. Togam virilem sumpsit uterque annum quintum decimum agens, Gaius anno 5 a. Chr. (749 urb.), Lucius anno 2 a. Chr. (725 urb.), deductus uterque in forum ab Augusto, qui eam ipsam ob rem duodecimum et tertium decimum consulatum petivit (Sueton. Aug. c. 26). De honoribus eorum breviter Sueton. Aug. c. 64 *tenerosque adhuc ad curam reipublicae admovit et consules designatos circum provincias exercitusque dimisit*; itemque Tacit. Annal. I, 3: *Gaium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat necdum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat*. Ac cum Dio LV, 9 narret, anno 6 a. Chr. (748 urb.) petisse L. Caesarem ab Augusto, ut Gaius frater consul fieret, intellexerunt viri docti (vide Hoeckium in historia Roman. huius temporis Tom. I, 2 p. 36) haec testimonia ita esse concilianda, ut senatus iam anno 6 a. Chr., cum nondum virilem togam sumpsisset ne Gaius quidem, decrevisse existimaretur, C. et L. Caesares, cum annum quintum et decimum inissent togamque virilem sumpsissent, consules designari consulatumque ipsum iis quinquennio post deferri. Ac fuit C. Caesar consul anno 1 p. Chr. (754 urb.), Lucius antequam esse posset, periit. Inscriptio autem illa apud Gruter. p. 228, 5, in qua L. Caesar dicitur annum quartum decimum agens consul designatus esse, qua utuntur ad h. l. Casaubonus et Chishullus, parum certae auctoritatis est.

3. *ut interessent consilis publicis*. Id non insolitum fuisse illo tempore in senatorum omnium liberis, commode docet Casaubonus citato Sueton. Aug. c. 38. Rem ipsam in C. et L. Caesaribus narrat Dio LV, 9, quamquam senatus consultum ea de re factum non commemorat. Cf. etiam Zonaras X, 35.

4. *principem iuventutis utrumque eorum.* Quid principatus ille sibi velit, explicarunt C. G. Zumptius in scriptione academica de equitibus Roman. p. 40, Marquardt. in historia equit. Rom. p. 74. Animadvertendum autem, quod Augustus, cum antea C. et L. Caesares una consules designatos esse dixerit, hoc loco *utrumque eorum* principem iuventutis appellatum esse dicit. Nimirum res ita erat. Uno senatus consulto, uno populi scito consules designati sunt, at principes iuventutis separatim Gaius anno 5 a. Chr., Lucius anno 2 a. Chr. appellatus est.

5. *parmis et hastis argenteis.* Aureas dixit Dio Cass. LV, 12, sui fortasse temporis consuetudine deceptus, quo cum plures essent seviri turmarum equitum Romanorum, parmis hastisque argenteis insignes, imperatorum liberi aureis distinguebantur. Solebant enim ii, hoc C. et L. Caesarum exemplo, principes iuventutis appellari, ut Nero, de quo vide Tacit. Annal. XII, 41 et nummos apud Eckhel. Doctr. numm. Tom. VI p. 260. Supplementa autem totius huius loci, qui est de honoribus C. et L. Caesarum, recte constituta sunt ab Chishullo, cum iam ante eum vs. 2 Lipsius emendavisset VT. EVM., quod a Chishullo potius ex hoc, quam ex exemplo Tournefortiano scriptum esse iudico. Gronovius quidem cum vs. 3 *deducti erunt* et vs. 4 *iuventutis Romanorum parmis utrumque* coniiceret, Cossoniani exempli vitiis deceptus est.

7. *viritim HS trecenos numeravi ex testamento patris mei.* Sic scripsit Franzius, cum Chishullus edidisset *ss trecenos,* minus recto signo (cf. vs. 10), reliqui priores nihil addidissent. Summam pecuniae a Caesare populo legatae eandem, quae hic est, habent Sueton. in Caes. c. 83, Appian. bell. civ. II, 143; Plutarch. Brut. c. 20. Anton. c. 16; Zonar. X, 12. At Dio 44, 35 solus omnium: *καὶ τῇ πόλει (καταλέλοιπε Καῖσαρ) .... δραχμάς, ὡς μὲν αὐτὸς ὁ Ὀκταουΐος γράφει, τριάκοντα, ὡς δὲ ἕτεροι, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἑκάστῳ σφῶν δοθῆναι κεκέλευκεν,* ad quem locum Reimarus recte statuit, ita Augustum scripsisse in commentariis de vita sua. Num vere ita scripserit, cum Caesar ipse HS modo centenos et vicenos populo legasset, a se divisos esse ad liberalitatem suam ostendendam trecenos, discerni nequit: hoc quidem in indice rerum a se gestarum maiorem modo summam ponit. Numeravit id legatum Augustus, ut ex Graecia Romam venit. Vide Dion. XLV, 6. Sestertios autem abiecta minuta et molesta aestimatione nos hoc loco ita ad pecuniam nostram comparabimus, ut centenos sestertios singulis aureis, quales apud nos sunt, aequemus, quam rationem et satis accuratam esse constat et facilem ad intelligendum nostris hominibus. Accepit igitur plebs Romana ex testamento Caesaris viritim ternos aureos.

8. *quadringenos ex bellorum manibiis consul quintum* i. e. anno 29 a. Chr. (725 urb.) ex praeda Aegyptiaca. Eandem summam nominat Dio LI, 21, cum dicit *centenas drachmas* i. e. *centenos denarios,* quae nostrae pecuniae sunt fere quattuor aurei. Addit Dio l. l. *προτέροις μὲν τοῖς ἐς ἄνδρας τελοῦσιν, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς παισὶ διὰ τὸν Μάρκελλον τὸν ἀδελφιδοῦν διένειμε.* Atque in universum de omnibus Augusti congiariis Sueton. Aug. c. 41: *Ac ne minores quidem pueros praeteriit, quamvis non-*

*nisi ab undecimo aetatis anno accipere consuessent.* Videtur autem hanc pecuniam Augustus populo iam tum promisisse, cum legatum patris sui solveret. Vide Dion. XLV, 6.

9. *in consulatu decimo* i. e. anno 24 a. Chr. (730 urb.), cum initio anni in urbem reversus edicto in urbem misso populo centenos denarios i. e. quadringenos sestertios (quaternos aureos nostrae pecuniae) pollicitus est, id quod comprobatum est senatus consulto. Vide Dion. LIII, 28.

10. *consul undecimum.* Dubium esse non debet, quin is annus dicatur, quo hunc undecimum consulatum gessit, non aliquis ex iis, quibus erat consul XI. Vide infra ad vs. 12. Habebat autem Augustus hoc anno 23 a. Chr. (731 urb.) et opportunitatem aliquam gratificandi, quia valetudinem suam recuperarat, et quia vitiosa fuerat aëris temperies, ex qua multi morbi nati sunt inundatioque magna Tiberis (Dio LIII, 33), necessitatem quandam opitulandi. *Duodecim frumentationes* quid sit, recte Casaubonus ex Sueton. Aug. c. 40 explicat, qui narrat frumentationes ita fieri consuevisse, ut singulis mensibus plebs singulas tesseras frumentarias acciperet, ut duodecim frumentationes totum annum expleant. Hanc autem largitionem significat Sueton. Aug. c. 41 *frumentum quoque in annonae difficultatibus saepe levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est.* Quod autem extremo versu 11 est COEMPTO, primus Lipsius ex apographorum corruptis lectionibus certissima coniectura restituit nec id in exemplo Tournefortiano inventum esse credo Chishullo tacenti.

12. *tribunicia potestate duodecimum,* i. e. anno 12 a. Chr. (742 urb.). Utitur hic annis tribuniciae potestatis, quia tum non erat consul: quo magis certum esse debet, ubi consulatum undecimum et duodecimum et tertium decimum nominet, eos ipsos annos intelligendos esse, quibus eos consulatus gessit. Commemorat hoc congiarium Iosephus Antiq. Iud. XVI, 4, 5 Ἡρώδης ἐδωρεῖτο Καίσαρα τριακοσίοις ταλάντοις θέας τε καὶ διανομὰς ποιούμενον τῷ Ῥωμαίων δήμῳ, atque illas θέας i. e. ludos gladiatorios rursus commemorat Dio LIV, 28 filiorum nomine factos esse Quinquatribus i. e. a. d. XIV Kal. April. Hinc causa et occasio congiarii patet, nec recte Casaubonus existimat id propter reditum ex Gallico itinere aut propter pontificatum maximum susceptum populo esse datum.

13. *quae mea congiaria pervenerunt ad hominum millia nunquam minus quinquaginta et ducenta.* Cum Gronovius illam lacunam, quae est ab initio vs. 14 explesset *ad num)mum millia,* Fabricius *ad sestertium,* Chishullus scripsit *ad sestert)ium millia,* quarum emendationum utraque et Augusti consilium, quod h. l. est, et res ipsa pervertitur. Cum enim duplex esset ratio summae indicandae, quae plebi Romanae donata esset, ut aut pecuniae quantum omnibus datum esset, diceretur, aut quot hominibus treceni et quadringeni sestertii donati essent, hac ratione usum esse Augustum ex iis, quae postea vs. 15 et vs. 19 et vs. 21 sunt, intelligimus. Deinde h. l. si sestertium millia dici existimabimus, efficietur tantula summa (250000 sestertium),

quae vix mille hominibus sufficiat. Quamquam Chishullus nescio qua ratione usus (neque enim, qualis sit, intelligere possum) efficit tantam summam, ut 125,500 hominibus sufficiat in quadringentorum nummorum largitione. Sed ne hic quidem hominum numerus explicari poterit, siquidem infra vs. 15 trecentis et viginti millibus hominum congiarium datum esse narratur, qui numerus unde subito tantopere auctus sit, nemo intelligit. Denique consuetum est Latine, ut pecunia ad homines perveniat, non pecunia, hominibus divisa, ad summam aliquam. Ac confirmat utique hanc sententiam, quod in Busbequiano exemplo superesse dicitur..... NVM.MILLIA, unde intelligimus scriptum fuisse AD.HOMI]NVM.MILLIA etc. Iam summa pecuniae universae, quae divisa est ab Augusto, cum trecenos daret sestertios, erat septingentiens quinquagiens HS (i. e. 750000 aurei), cum quadringenos, milliens HS (i. e. 1000000 aurei).

15. *tribuniciae potestatis duodevicensimum consul XII.* Initium est anni 5 a. Chr. (749 urb.); nam medio eo anno tribuniciam potestatem suscepit undevicesimum. Nec dubium, quin recte Casaubonus statuerit propter C. Caesarem, quem tum in forum primum deduxit, illam liberalitatem populo Romano exhibitam esse. Vide supra ad vs. 3 huius tabulae. Cur autem fieri dicamus, quod septuaginta fere millibus hominum plus quam antea in consulatu quinto et post in decimo divisa est pecunia? Aut profecerat aliquid Augustus in curanda civitate Romana (vide C. G. Zumptii scriptionem academicam, iam supra laudatam: Über den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum, p. 38 sqq.) auctaque erat multitudo Romae libera undeviginti illis annis, quibus non dederat congiarium plebi Romanae, aut complectebatur liberalitate sua etiam infantes. Utrumque videtur factum esse, sed imprimis hoc. Liberalis enim erat filii sui causa ac deminuit pecuniam, quam singulis impertiebat. Divisit enim sexagenos denarios i. e. ducenos quadragenos sestertios (i. e. binos aureos et prope dimidium), ut universae pecuniae summa fuerit septingentiens et sexagiens et octiens centena millia HS (i. e. 768000 aurei). Auget paululo pecuniam Sueton. in Aug. c. 41, cum *nonnunquam ducenos quinquagenos nummos* in congiarium plebi datos esse scribit; nec enim dubium, quin ea Suetonii verba ad hoc tempus pertineant.

17. *in coloniis militum meorum* sqq. Aliter haec exhibuerat Chishullus Gronovium secutus, quasi ita inveniretur in exemplo Tournefortiano, in quo nihil eiusmodi fuisse censeo, sed illum a se inventa male cum iis, quae superesse intelligeret, commiscuisse. Legerat autem sic: *et cuoivis militum meorum,* in quibus et forma *cuoivis* magnopere vereor, ne ab huius monumenti elegantia arcenda esse videatur, et Latinitatem et denique sententiam universam prorsus pessumdari intelligo. Quis enim dicat Latine *cuivis viritim dedi singula millia nummum*? Multitudo hominum cum nominatur, recte additur *viritim,* ut supra saepius factum est, non ubi *quivis* dicitur. Deinde quis credat Augustum *cuivis militum suorum* tantum donativum dedisse? Constat enim ex Dion. LI, 3 omnes milites Antonianos in exercitum Caesaris

esse allectos, quibus certe nihil debebatur. Quare non cuivis dedit, sed selectis quibusdam, sensitque id vir ille doctus in Clerici biblioth. select. Tom. VIII p. 331, cui placuisse *veteranis* annotat Fabricius. Denique in reliquis congiariis accurate ubique Augustus numerum eorum, quos donaverit, addit, in hoc uno cur non fiat idem, sed pars aliqua, quae in coloniis erat, commemoretur? Faciendum igitur erit, ut omnium eorum, qui triumphale congiarium acceperunt, numerus indicetur. Nimirum parum firma apographorum auctoritate nititur Chishullianum *et cuivis militum.* Nam in Busbequii corrupto exemplo est ET.QVINIS.MILITVM cet., sine recta sententia, at in Lucasiano, quod equidem saepe deprehendi fide esse dignius quam Chishullianum, est: ... O .. NS.MILITVM. Inde effeci IN.COLONIIS.MILITVM vel IN.COLONIS.MILITVM; nam ne particula quidem illa *et* satis apta est, quia non similia coniungenda sunt, sed diversum aliquid addendum. Sic iam vs. 18 et 19 totus eorum numerus, qui hoc congiarium acceperunt, editur. Superest, ut paucis doceam, eos, qui in coloniis erant Augusti milites, maxime fuisse socios victoriarum eius atque illo congiario triumphali dignissimos. Post pugnam Actiacam Augustus continuo veteranos exercitus sui in Italiam dimisit (Dio LI, 3), qui cum ibi tumultuarentur et seditiones excitarent, ipse subito supervenit et τοῖς μὲν ἄλλοις χρήματα ἔδωκε, τοῖς δὲ διὰ παντὸς αὐτῷ συστρατεύσασι καὶ γῆν προσκατένειμε· τοὺς γὰρ δήμους τοὺς ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τοὺς τὰ τοῦ Ἀντωνίου φρονήσαντας ἐξοικίσας, τοῖς μὲν στρατιώταις τάς τε πόλεις καὶ τὰ χωρία αὐτῶν ἐχαρίσατο (Dio LI, 4). Unde intelligimus Augustum eadem ratione egisse, qua L. Sulla egerat (et nimirum eundem etiam militum numerum in coloniis collocavit), ut veteranis suis agros urbium victarum divideret. Quos veteranos quis putabit in triumpho potuisse praeteriri? Dedit autem singula nummum millia i. e. decem aureos singulis, ut summa congiarii triumphalis anno 29 a. Chr. (725 urb.) mense Sextili militibus praebiti fuerit duodeciens aureorum.

19. *consul tertium decimum* sqq. Causa huius liberalitatis fuit similis atque in duodecimo Augusti consulatu fuerat. Deduxerat enim consul tertium decimum, anno 2 a. Chr. (752 urb.) Lucium filium in forum, qui cum togam virilem sumpsisset, gratam eius rei memoriam plebi Romanae esse voluit. Cf. ad vs. 3 et 15 huius tabulae. Explicanda autem ex hoc loco sunt ea, quae ex Dionis Cassii historia libr. LV c. 10 supersunt: Ὁ δὲ Αὔγουστος τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδουμένου πλῆθος, ἀόριστον ὄν, ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε καί, ὥς γέ τινες λέγουσι, καθ' ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε. Quo loco duae res parum recte confunduntur. Cum enim constet ab Augusto numerum eorum, qui frumentum publicum acciperent, deminutum esse, quod idem fecerat aliquando Caesar (vide Sueton. Caes. c. 41; Dion. XLIII, 21 et Hoeckium in historia imperii Roman. Tom. I. Vol. 2 p. 140), parum tamen probabile videtur, eum id anno eo fecisse, quo filium populo Romano commendare vellet. Quare sic statuendum, iam antea cum numerus pauperum illorum minutus esset, Augustum anno 2 divisisse sexagenos viritim denarios iis, qui frumentum publicum acciperent, i. e. binos prope aureos et dimidium, paulo minore usum liberalitate in Lucio quam usus erat in Gaio filio: in

hoc enim totius pecuniae summa facta est nostrae pecuniae quingentorum millium aureorum.

20-25. Horum versuum interpretatio Graeca superest in fragmentis Apolloniae in Pisidia repertis. Quamquam in hac parte nec utilis magnopere est, quia Latina extant, et mutila. Vide infra.

22. *Pecunia, quam pro agris* sqq. Cum in Tournefortiano exemplo esset vs. 24 SEX, in Lucasiano autem SEX . . . SIENS, Chishullus in annotatione sua invitum se fecisse ait, ut scriberet *sexagiens milliens*; terrebat enim eum immanis pecuniae summa, quam Augustus agris emendis consumpsisse diceretur. Cui invito operae non paruerunt, siquidem in contextu monumenti reliquit *sexsiens milliens*. Atque res est iudicii ancipitis nec facilis ad decernendum. Busbequianum quidem exemplum (sed id Lucasiano longe mendosius est) habet SEXGENS i. e. SEXIENS, unde Franzius non dubitabat, quin hic numerus ponendus esset. Nos hoc loco lectionis varietatem secundum rei ipsius veritatem examinabimus, quam in rem cum possimus plurima scribere, brevissimi tamen erimus, loci occasionisque memores. Quaeritur enim quantum agri in Italia emerit, vel, cum id nulla ratione dici certe possit, quot militibus emerit. Bis Augustus a se ait agros militibus assignatos esse i. e. plures uno tempore; nam singulas colonias, ut Augustam Taurinorum in Italia, ut Augustam Emeritam in Lusitania, aliis temporibus deductas esse constat: sed plures simul bis deduxit, primum in consulatu suo quarto, anno 30 a. Chr. (724 urb.), cum M. Antonio victo militibus praemia solvenda essent. Eo tempore in Italia modo colonias condidit et agros assignavit, et quidem, ut ipse supra vs. 19 dixit, deductis militum suorum circiter centum et viginti millibus. Cf. supra ad vs. 19. Tum M. Crasso et Cn. Lentulo consulibus i. e. anno 14 a. Chr. (740 urb.), cum in Gallia versaretur huiusque provinciae et Hispaniarum res componeret, colonias ibi plurimas deduxit. Vide Dion. libr. LIV, 25. Quare, quae duo coloniarum genera Augustus ipse hoc loco secundum tempus, quo conditae sunt, constituit, eadem intelligimus terris, in quibus collocarentur, fuisse diversa, et sexiens milliens, quod pro agris Italicis solutum esse ipse vs. 25 significat, cum bis milliens et sescentiens pro agris pro agris provincialibus numeratum esse scribit, esse illam pecuniae summam, quam anno 30 a. Chr. in commoda militum veteranorum impendit. Sic efficitur, ut sexiens milliens HS i. e. sexagiens aureorum nostrorum in agros militum centum et viginti millibus emendos impenderit; quam pecuniam, si missis militum discriminibus aequaliter omnibus divisam esse statuas, singuli acceperunt agrum quinquagenorum aureorum nostrae pecuniae. Quae pecunia si cui nostrorum temporum rationes respicienti parum sufficere videatur (nec enim agros modo Augustus emit militibus suis, sed domos in oppidis Italiae cum agro, qui cum iis coniunctus erat, et quidem instructas), consideret nec omnibus centum et viginti millibus agrum fuisse emendum, sed multum fuisse agri publici, maxime ex proscriptorum et occisorum bonis effecti, et pretia praediorum diuturnis bellis imminuta fuisse, cui rei non est contrarium, quod Dio LI, 21

narrat possessionum pretia postea rursus aucta esse, et denique callide hoc loco ita dicere Augustum, ut, nisi rem ipsam ex aliis auctoribus vere cognossemus, qua ratione vere egisset, invenire nequiremus. Neque enim Augustus a volentibus agrum emit aut tanto, quanto vellent ii, qui venderent: sed cum eos, qui M. Antonii partes secuti erant, agris eiecisset, parti agros provinciales reddidit, parti pretium pro agris, quantum ipse constituisset, numeravit. Vide Dion. LI, 4. Quae cum ita sint, pecunia sexiens milliens sestertium sane potuit ad centum et viginti millia militum agro donanda sufficere. Pro provincialibus autem agris tantum *bis milliens et sescentiens HS* numeravit i. e. viciens et sexiens aureorum nostrorum, non quod minus militum in iis collocaret, sed quia et plus agri publici erat in provinciis et possessiones omnino viliores. Ceterum Franzius vs. 22 rectissime Gronovii emendationem restituit, *pecunia* (*quam pro*) *agris*, quam confirmaret etiam interpretatio Graeca; Chishullus scripserat *pecuniam* (*pro*) *agris* cet., puncto posito vs. 23 post verbum *municipis*; nec credo ei, cum PECVNIAM, quod in nullo alio exemplo legitur, in Tournefortiano exemplo esse significat. Utraque autem ratione animadvertendum est *municipia* vs. 23 dici non Italica modo oppida, quae civitatem habebant, sed idem prorsus esse quod *oppida*. Cf. infra vs. 31 huius tabulae.

24. *quam ex collationibus pro praediis numeravi.* Sic Chishullus ex vestigiis quattuor exemplorum, quibus utebatur, recte scripsit, quamquam parum credo, *collationibus* fuisse in exemplo Tournefortiano, ut significat fuisse. Gronovius quidem prorsus a vero aberraverat coniiciens *quam pro agris Romanis praediatoribus* (i. e., opinor, *possessoribus,* ut volebat) *numeravi,* nec rectius Lipsius emendarat *praetoribus.* Ipsa res de extraordinario hoc tributo possessoribus Italicis secundum praediorum pretia imposito ignota est, sed tempus eius illud fuisse recte videtur statuere Casaubonus, de quo narrat Dio libr. LI, 4. Qua autem ratione pecuniam pro provincialibus agris Augustus confecerit, tradit Dio LIV, 25.

26. *Id primus et solus omnium* etc. Non tam Caesarem, patrem suum, id arguit non fecisse, qui et paucas deduxit militum colonias in Italia et, si quas deduxit, in agro aut publico aut empto constituit (vide meam de C. Iulii Caesaris coloniis commentationem scholasticam Gymnasii Frideric. Werderan. anni 1841 p. 35); sed L. Sullam et III viros, in quibus ipse aliquando fuerat. Appianus autem bell. civil. II, 140, cuius testimonio Chishullus ad h. l. abutitur ad Caesarem quoque vituperandum, non ipse dicit, sed M. Brutum interfecto Caesare invidiose dicentem facit.

28. *Tib. Nerone et Cn. Pisone.* Quamquam in omnibus exemplis superesse dicitur NERONI et PISONI., non dubitavimus tamen, quin NERONE et PISONE scribendum esset. Cf. I, 36, ubi probabili coniectura scripsimus (*Tib. Nero*)*ne*. Atque cum omnino in inscriptionibus fieri saepe soleat, ut ex litteris F et E et T et L, detritis ceteris, existat sola lineola I, qua de re vide Marinium in Act. fratr. Arval. p. 161 et 409 et 625, tum in hoc ipso monumento Ancyrano et temporis hominumque iniuria male habito et eorum, qui descripserunt, oculis parum accurate

examinato, saepe accidit, ut I superesse dicatur, ubi alias litteras fuisse constat. Ut in Lucasiano exemplo, quo solo in hoc genere uti possumus, quia et totum cognitum est et tolerabili cum cura factum, I, 10 est CONSTITVIN pro CONSTITVEN-[DAE], I, 11 NIAS pro OM]NEIS; I, 12 . . OSTIA pro P]OSTEA; III, 23 LINTVLO pro LENTVLO; infra III, 29 IH pro ET; aliaeque similes acciderunt permutationes, ut I, 15 est . . ICIORQVE pro V]ICTORQVE; II, 19 ESI.IN.SAIIARE pro EST.IN.SALIARE, duplici confusione, II, 24 CVMIA pro CVNCTA; ibidem . . . CVIAVERAT pro PRO]CVRAVERAT; I, 18 STIPEI . . pro STIPEN-[DIIS; I, 27 SVPI pro SVPP[LICANDVM, aliaque plurima. Quare non admittendus est hoc loco ablativus ille in *i* desinens, quem Gronovius parum recte ita confirmare vult, ut nonnunquam etiam apud scriptores inveniri dicat *imbri* et similia. Sed cf. de hac re infra ea, quae de orthographia universi huius monumenti disputabimus. Consules autem erant Ti. Nero et Cn. Piso, ille quidem iterum, anno 7 a. Chr. (747 ab urb.), insequenti anno C. Antistius et D. Laelius, tum anno 4 a. Chr. (750 urb.) C. Calvisius et L. Passienus.

29. *L. Lentulo et M. Messalino.* Sic scripsimus additis praenominibus, quae Chishullus non recte omiserat. Consules fuerunt anno 3 a. Chr. (751 urb.). Gronovius, exemplo Busbequiano deceptus, suppleverat *Cn. Lentulo et M. Messalino*, quos consules in fastis omnino non commemorari video. Qui deinceps nominantur consules, L. Caninius et Q. Fabricius, suffecti sunt anni 2 a. Chr. (752 urb.). Disputavit de iis Norisius ad Cenotaphia Pisana p. 183.

31. *remisi, praemia aere numerato persolvi.* Sic Gronovius optime coniecerat, nisi quod nescio qua de causa *ter solvi*, quod in Cossoniano exemplo invenerat, reliquit. Id ex Lucasiano et Tournefortiano exemplo Chishullus mutavit in *persolvi*, sed idem minus apte explevit *reduxi* pro eo, quod esse oportet, *remisi*, quasi ipse Augustus, ut olim in colonias, sic tunc in municipia milites reduxisset. Recte autem Gronovium explesse *aere numerato* i. e. pecunia, non agris, Dio LIV, 25 demonstrat. Augustus cum anno 13 a. Chr. (741 urb.) post colonias in Gallia et in Hispania conditas Romam redisset, quia intelligebat, non semper militibus agros dividi posse, libellum in senatu recitavit de modo et praemiis militiae, ut milites praetoriani post duodecim, reliqui legionarii post sedecim annos dimitterentur et pro agris certam pecuniam acciperent. Secundum hanc igitur rationem hae militum missiones, quae vs. 28 usque ad vs. 30 commemorantur, factae sunt. Vs. 30 Gronovius, cum spatium versuum ignoraret, non recte scripsit *veteranis, quos identidem emeriteis stipendiis,* unde Chishullus omisso vocabulo *identidem* eam, quam recepimus, lectionem constituit. Versu autem 32 cur *sexiens milliens* supplerimus, explicabimus ad VI, 29.

34. *Quater pecunia mea iuvi aerarium.* Primum id fecit anno 28 a. Chr. (726 urb.), cum in aerarium inane pecunias quas mutuo ipse sumpserat, intulit, ut Dio LIII, 2 narrat, quem locum iam Chishullus indicavit; iterum anno 16 a. Chr.

(738 ab urb.), quo tempore ad vias publice muniendas aerarium adiuvit. Testes sunt nummi, in quibus scriptum est: Senatus Populus Que Romanus IMPeratori CAEsari QVOD . Viae Munitae Sunt EX . EA . Pecunia Quam IS . AD . Aerarium DEtulit. Vide Eckhel. Doctr. Numm. Tom. VI. p. 105. Tertium anno 12 a. Chr. (742 urb.), ut Asiae terrae motibus concussae subveniret, annuum eius tributum ex sua pecunia in aerarium intulit (Dio LIV, 30). Quartum quando iuverit aerarium, ignoratur. Asiae autem tributum annuum L. Sullae tempore fuisse constat viginti millia talentum (App. Mithr. c. 62, Plut. Sull. c. 25; Lucull. c. 4), neque id Augusti tempore imminutum esse probabile est. Iam summa totius pecuniae, qua Augustus aerarium adiuverit, in Cossoniano et in Tournefortiano etiam exemplo (si quidem Chishullo tacenti credi potest) traditur esse *milliens et quinquiens* HS, itaque edidit Chishullus. Qui numerus cum Gronovio ideo displiceret, quod *quinquiens* HS pro eo, quod saepius et proprie est *quingenta millia* HS, improbabat, qua de causa coniecit *milliens* et *viciens quinquiens,* tum mihi etiam alia de causa suspectus est. Nam si Augustus semel, cum Asiae subveniebat, decimam modo tributi partem dedit i. e. HS fere quingentiens (nam totius tributi summa nimia est), intelligitur non satis multum relinqui in tria illa tempora, quibus rursus aerarium adiuvit, nisi maior fuerit summa quam *milliens et quinquiens.* Accedit quod in Lucasiano exemplo ita scribitur vs. 35: QVINGI.......S, satis magna lacuna notata. Inde effeci *milliens et quingentiens* i. e. nostrae pecuniae deciens et quingenta millia aureorum.

35. *ad eos qui praeerant aerario.* Sic coniecit quidam vir doctus in bibliotheca selecta Clerici Tom. VIII. p. 339 ex vestigiis exempli Cossoniani, scripsitque Chishullus ex Tournefortiano. Ac consulto Augustus ita dixit. Neque enim uni magistratus per totum imperium Augusti aerario praefuerunt. Usque ad annum 28 a. Chr. (726 urb.) veteri more quaestores praeerant, tum bini praetorii (Dio LIII, 2) usque ad annum 23 a. Chr. (731 urb.), quo ei praeesse coeperunt bini praetores (Dio LIII, 32). Cf. Sueton. Aug. c. 36.

36. *in aerarium militare, quod ex consilio meo constitutum est* cet. Eam lacunam, quae in hoc versu est, reliquit Chishullus in contextu monumenti huius, quem constituit: reliqua, quae inde a vs. 35 usque ad vs. 39 in apographis desiderantur, rectissime explevit. Etenim anno 5 p. Chr. (758 urb.) cum Augustus iis, quas supra vs. 28 et iis, qui insequuntur, versibus commemoravit, militum missionibus edoctus intellexisset, rempublicam tantos sumptus tolerare non posse, in senatu constitutum est, ut praetoriani milites post sedecim, ceteri legionarii post viginti stipendia dimitterentur. Vide Dion. LV, 23 et Lipsium ad Tacit. Annal. I, 17; nam qui nuperrime de hac re disputavit, Hoeckius in historia imperii Romani Vol. I, 2 p. 178, non de omnibus rebus recte iudicat. Simul anno insequenti, quo M. Aemilius et L. Aruntius consules fuerunt, *aerarium militare* institutum est. Quaeritur ex cuius consilio; id enim additum erat in hoc monumento, in quo periit tamen eius nomen, qui auctor fuit. Itaque Gronovius primum de Maecenate cogitabat, qui, ut aerarium tale instituatur,

suadet in nota illa oratione apud Dion. LII, 28. Verum totam eam orationem secundum eas res, quae postea gestae sunt, a Dione ipso compositam esse constat. Tum de Livia suspicabatur, quia ea apud Dion. LV, 16 similia suadeat. Sed et haec a Dione ficta et exornata esse certum est ac quis mulieris nomen in tali re et in hoc monumento ferat? Nec probavit haec Gronovius Chishullo, qui supplebat *ex consilio senatus,* parum cogitans, nullum esse *consilium* senatus, sed *consultum* aut *auctoritatem,* nec ab Augusto illud aerarium institutum esse, sed a senatu. Neque omnino, si quam rem Augustus in hoc indice rerum a se gestarum laudat et magni facit, par est alium eius auctorem dici atque ipsum Augustum. Quare supplendum utique est *ex consilio meo.* Atque ita prorsus loquitur Dio LV, 25, ut totam rationem referente et suadente Augusto ab senatu initam esse intelligamus. Summa pecuniae, quam in aerarium militare a se illatam esse narrat, est nostrae pecuniae deciens et septiens aureorum; nec tamen eam universam uno tempore intulit, sed sic dicit Dio l. l. *ἐςήνεγκεν ὁ Αὔγουστος χρήματα καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ ὑπὲρ τοῦ Τιβερίου ἐς τὸ ταμεῖον, ὃ καὶ στρατιωτικὸν ἐπωνόμασε,* et rursus paulo post: *αὐτός τε οὖν συνεςήνεγκέ τινα καὶ τοῦτο κατ᾽ ἔτος πράξειν ὑπέσχετο.* Nec dubium est, quin promissum illud servarit. Cum autem post aerarium militare institutum octo annos et dimidium imperarit, si binis eum quotannis pensionibus certam pecuniam solvisse statuas, quotannis intulit ducentiens HS, eo quo decessit anno, centiens. Quam pecuniam in hoc suarum rerum indice, cum brevis esse vellet, totam uni ei anno, quo constitutum est aerarium militare, adsignavit.

39. *Anno quo M. Claudius et L. Aruntius.* De ea liberalitate Augusti, quam pro aerario publico susceperit, non de congiario aut frumentatione vulgari dici, certum est ex universa indicis huius continuatione, atque interpretatio Graeca, quae inde ab extremo versu 41 incipit (vide infra), hoc suppeditat, ut extremum totius huius tabulae vocabulum sciamus fuisse *dedi.* In eadem cum praecedat ..... ΕΞΕΩΣ, scite id supplevit Franzius *ὑπὲρ σιτήσ]εως,* Latine *pro frumento,* quod plane cum iis litteris, quae superesse dicuntur, convenit. Praeterea cum olim Chishullus scripserit QV]O et CONS]VLES, nos reliqua ita explevimus, ut, quae litterae servatae sunt in omnibus apographis aequaliter, lacunasque item, quantae in quoque annotantur, observaremus. Nimirum, ut ab eo, quod certum est, proficiscamur, eo anno, quo Cn. et P. Lentuli consules fuerunt, qui est 18 a. Chr., 736 urb. condit., nihil aliud, quod ad frumentationem publicam aut ad liberalitatem aliquam Augusti pertinere possit, narrat Dio LIV, 17, nisi hoc: *διενομοθέτει, ἵνα ἐπὶ τῇ τοῦ σίτου διαδόσει προβάλλωνται καὶ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἀεὶ ὄντες ἕνα ἕκαστον ἐκ τῶν πρὸ τριῶν ἐτῶν ἐστρατηγηκότων καὶ ἐξ αὐτῶν τέσσαρες οἱ λαχόντες σιτοδοτῶσιν ἐκ διαδοχῆς,* quae verba quomodo intelligenda essent, olim explicavimus in commentatione de honorum gradibus sub imperatoribus Hadriano et Antonino Pio in museo Rhenano anni 1842 p. 278. Hinc probabile est, illo anno annonae inopiam fuisse, itaque supplevi, quasi ei Augustus pecunia pauperibus divisa subvenerit, quam cum praestari oporteret proprie ab aerario,

ipse ex suo dedit. Similis autem ratio fuit eius anni, quo M. Claudius Marcellus et L. Aruntius consules fuerunt (22 a. Chr., 732 urb. condit.), quo narrat Dio LIV, 1 maximam annonae caritatem fuisse Augustumque, exoratum a plebe Romana, ipsum suscepisse annonae praefecturam. Quare hunc quoque annum in ea lacuna, quae vs. 39 relinquitur in exemplis omnibus, commemorandum esse putavi. Versu autem 40 dubium, utrum *Cn. et P. Lentulus* an *Cn. et P. Lentuli* scribendum sit. Illud Chishullus edidit, silentio significans, ita esse in exemplo Tournefortiano; at Busbequianum habet LENTVLO, Cossonianum LENTVLE, Lucasianum LENTVIE, unde non maiore emendatione fiet LENTVLI. Quamquam, cum frequentior sit pluralis, singularem quoque apud optimos Latinitatis auctores ferri posse constat.

## TABVLA QVARTA.

1. *Curiam et continens ei chalcidicum.* Curiam constat esse Iuliam, quae instituta ab Augusto in honorem patris sui, dedicata est anno 29 a. Chr. (725 urb.), a. d. v. Kal. Sept., ut arbitror; certe eo die aram Victoriae in curia dedicatam esse kalendarium Maffaeiorum docet. Sic enim de ea narrat Dio LI, 22: Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσε, τό τε Ἀθήναιον, τὸ καὶ Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον, καὶ τὸ βουλευτήριον τὸ Ἰουλίειον, τὸ ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον, καθιέρωσεν. Quae curia quo loco fuerit, quamdiu steterit, relinquam topographis urbis aeternae diversa tradentibus. Novissime de ea scripsit W. A. Beckerus in enchiridio antiquitatum Romanarum Vol. I. p. 332 et 346. Chalcidicum autem quale genus aedificii fuerit, quamquam nuper Pompeiis inscriptio de chalcidico inventa est (apud Orellium in collectione inscript. Latinar. n. 3291), admodum ambiguum est, nec nobis hoc loco propositum est de ea re dicere: quo in genere nobis, quae Bunsenius in annalibus Instituti archaeolog. Roman. anni 1836 Fasc. II et III p. 263 sqq., et in descriptione urbis Romae Tom. II Part. II p. 91 disputavit, satis probabilia videntur esse. Illud vero, quamvis contra sentiat Beckerus, quem modo laudavimus, tamquam certum statuimus, Chalcidicum curiae continens, quod h. l. commemoratur, idem esse atque Ἀθήναιον illud, de quo mentio fit apud Dionem eo loco, quem citavimus, atque apud eum aut ita, ut supra ipsi scripsimus, τὸ καὶ Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον, aut, si contra librorum auctoritatem particulam inseri non placeat, τὸ Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον legendum esse. Ut enim curia ipsa sacra erat et templum quasi quoddam, item chalcidicum, cum ea coniunctum et in senatorum usum destinatum, par erat sacrum esse deo alicui, Minervaque, consiliorum bonorum auctor, aptissima eius praeses erat. At diversa utique ab hoc chalcidico Minervae sacro est illa Minervae aedes, quae infra vs. 6 commemoratur.

*templumque Apollinis in Palatio cum porticibus.* Dedicatum est anno 28 a. Chr., 726 urb. (Dio Cass. LIII, 1) a. d. VIII. Idus Octobr. (vide kalendar. Antiatin.). De eo Sueton. Aug.. c. 29: *Templum Apollinis in ea parte Palatinae domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a deo haruspices pronuntiarant. Addidit*

*porticus cum bibliotheca Latina Graecaque.* Cf. Dion. XLIX, 15 et Vellei. II, 81, unde intelligimus coeptum esse opus paulo post Sextum Pompeium victum. Plura narrat W. A. Beckerus in libro, quem supra laudavimus, Vol. I. p. 425.

2. *aedem divi Iuli.* Instituta erat a III viris anno 42 a. Chr. (712 urb.), cum Caesar divinis honoribus afficeretur, sed aut intermissa postea aut amplificata ab Augusto, qui dedicavit anno 28 a. Chr., 726 urb., a. d. xv Kal. Sept. (vide kalendar. Antiatin); nam Dioni LI, 22 dedicationem anno 29 a. Chr. tribuenti ideo minus credo, quod Augustus eo anno inde ab a. d. xix Kal. Sept. per triduum triumphos egit, nec biduo rursus dedicando hoc templo festum egisse videtur, et quod uno hoc templo temporis ordinem, quem in enumerandis aedificiis hic Augustus servavit, turbari nolim. Historiam autem huius templi pluribus narrat W. A. Becker l. l. p. 335 sqq., de loco, quo fuerit, dissentiens a Bunsenio in descriptione Romae Vol. III. Part. II p. 98.

*porticum ad circum Flaminium.* Festus s. v. Octaviae: *Octaviae porticus duae appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia, soror Augusti, fecit* (a qua dicitur porticus Octaviae); *alteram theatro Pompeii proximam Cn. Octavius, Cn. filius, qui fuit aedilis curulis, praetor, consul* (165 a. Chr., 589 urb.), *decemvir sacris faciendis triumphavitque de rege Perse navali triumpho* (anno 167 a. Chr., cum in bello Macedonico classi praefuisset), *quam combustam reficiendam curavit Caesar Augustus.* Cf. Vellei. II, 1. De loco, quo fuerit ea porticus, vide W. A. Beckerus l. l. Vol. I. p. 617.

4. *pulvinar ad circum maximum.* Pulvinar est is locus, quo deorum imagines constituuntur. Vide Festum p. 364 ed. Müller. s. v. tensa. Quod incendio consumptum ita restituit Augustus, ut locum adderet, ex quo ipse cum uxore et liberis spectare posset. Vide Sueton. in Claud. c. 4 et in August. c. 45, ad quem locum minus recte Ernestius diversum pulvinar imperatorum et deorum fuisse statuit.

5. *aedes in Capitolio Iovis Feretri et Iovis Tonantis.* Prior erat vetustissima et prima omnium templorum Romanorum, a Romulo condita, quam Augustus vetustate collapsam a solo refecit, quare etiam infra VI, 31 inter nova eius opera recensetur. Vide Livium IV, 20. De aede Iovis Tonantis sic narrat Sueton. in Aug. c. 29: *Tonanti Iovi aedem consecravit, liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgur praestrinxisset servumque praelucentem exanimasset.* Cf. eundem c. 91. Atque invenitur ea aedes etiam in nummis Augusti, apud Eckhel. Doctr. Numm. Vol. VI p. 92. Dedicata autem est anno 22 a. Chr., 732 urb. (Dio LIV, 4), Kalendis quidem Septembribus, ut est in kalendario Amiternino. Cf. W. A. Becker in libro saepius laudato Vol. I p. 402 et 407.

*aedem Quirini.* Vetus erat templum, quod anno 49 a. Chr. (705 urb.) combustum totum de novo aedificavit Augustus dedicavitque anno 16 a. Chr., 738 urb. Vide Dion. libr. LIV, 19. Reliqua, quae de hoc templo a veteribus traduntur, congessit et inter se conciliare studuit W. A. Becker in enchirid. antiq. Rom. Vol. I p. 570 sqq.

6. *aedes Minervae et Iunonis Reginae et Iovis Libertatis in Aventino.* Minervae aedes vetus erat, dedicata olim a. d. XIII Kal. Iul. (vide kalendarium Amiterninum et Ovid. Fast. VI, 722; Festum s. v. scribae p. 333 ed. Müll.): collapsam de novo aedificavit Augustus, dedicavitque, ut opinor, anno 12 a. Chr. (vide quae supra a nobis dicta sunt ad III, 12) a. d. XIV. Kal. April. Vide kalendar. Praenestin. et Festum s. v. quinquatrus, p. 257 Müll. Sic enim concilianda esse existimo, quae de duplici dedicatione huius templi ab iis, quos dixi, auctoribus narrantur. Iunonis Reginae aedes item vetus fuit, a Camillo post Veios captos aedificata signoque deae ligneo, quod Veiis abstulerat, exornata (Liv. V, 22; Plutarch. Camill. c. 6; Valer. Maxim. I, 8, 3): hanc quoque aut collapsam vetustate aut incendio consumptam Augustus a solo videtur restituisse. In aede Iovis Libertatis difficultatem aliquam habuit ipsa lectio. Cum enim in clausula huius indicis (VI, 32) Graece dicatur Διὸς Ἐλευθερίου, Franzius in Diario archaeologico Berolinensi anni 1843, Nr. II, p. 25, quadratarii errore h. l. *Iovis Libertatis* scriptum esse coniecit pro eo, quod esse oporteret *Iovis Liberatoris.* Quam sententiam cum W. A. Beckerus in enchiridio antiq. Roman. Vol. I p. 457 comprobasset, revocavit eam in appendice eius libri p. 721, statuitque *Iovis Libertatis* eadem ratione dictum esse, qua constat dici templum *Herculis Musarum, Honoris Virtutis,* omissa particula *et,* qua in sententia iam etiam Franzius acquiescendum esse existimat. Neque ab ea discedo ipse cum aliis de causis tum, quod etiam in municipiis Italicis Romae urbis aedes sacras imitantibus Iovem Libertatem commemorari video, ut apud Orell. in Inscript. Collect. n. 1249 et 1282. Antiquitus in Aventino fuisse constat templum Libertatis, conditum a Ti. Sempronio Graccho (Liv. XXIV, 16), cum quo utrum hoc Augusti templum coniunctum fuerit, tum *atrium libertatis,* quod saepe commemoratur, utrum huius templi pars fuerit nec ne, nec a topographis urbis Romae adhuc certe constitutum est nec ego hoc loco disputabo. Hoc vero contra Urlichsium in Bunsenii descriptione Romae Vol. III P. III p. 121 et W. A. Beckerum in enchiridio antiq. Rom. Vol. I p. 452 sqq. tamquam certum ponere posse videor, ut in Capitolio unum erat Iovis et Iunonis et Minervae templum cum separatis deorum cellis, item in Aventino in uno templo tres fuisse aedes Iovis Libertatis, Iunonis Reginae, Minervae, easque eam ob causam hic coniunctim nominari.

7. *aedem Larum in summa sacra via, aedem deum Penatium in Velia.* Utraque aedes vetus erat, sed a solo ab Augusto restituta est ideoque ab eo inter nova sua opera recensetur. De iis, quibus sacrae erant, non opus est h. l. dicere, de quibus, qui volet, consulet librum Guil. Hertzbergii *de diis Romanorum patriis sive de Larum atque Penatium tam publicorum quam privatorum religione et cultu* (Halae 1840), et Rud. Klausenii germanice scriptum: Aeneas und die Penaten. De loco quo fuerint, vide W. A. Beckeri enchirid. antiq. Rom. Vol. I p. 246 sqq. Illud unum animadverto, Chishullum ad h. l. non recte ex inscriptione Farnesiana apud Grut. p. 606, 4 (apud Orell. n. 1668) colligere, Larum aedem ipsam ex stipe

Augusto a Romanis collata aedificatam esse; quam inscriptionem equidem ad signum aliquod in ea aede dedicatum pertinere existimo, ut Sueton. in Aug. c. 57 narrat, Augustum ex strenis, quas Kalendis Ianuariis accipere soleret, pretiosissima deorum simulacra conficere consuevisse.

8. *aedem Iuventatis.* Veterem Iuventatis (sic enim dea appellatur, non Iuventus) aedem in circo maximo fuisse constat (Liv. XXXVI, 36; Cic. Brut. 18, 73) cum sacris anniversariis (Cic. ad Att. I, 18, 3). Diversum ab illa hoc templum, alias ignotum, quod in Palatio fuisse ex hoc monumento intelligimus.

*aedem Matris magnae.* Item vetus templum erat, dedicatum anno 192 a. Chr. (562 urb.), cum anno 205 (549 urb.) Mater magna Idaea Pessinunte advecta esset (Liv. XXXVI, 36 et XXIX, 12). Incendio consumptum anno 3 p. Chr. (756 urb.) restituit Augustus (Dio libr. LV, 12; Valer. Maxim. I, 8, 11) et quidem paulo post prid. Idus Apriles, ut ex kalendario Praenestino discimus. Cf. W. A. Becker in libro supra laudato Vol. I p. 421.

9. *Capitolium.* Rem narrat anno 9 a. Chr. (745 urb.) Dio Cass. LV, 1: *πολλοὶ δὲ καὶ ναοὶ ἐφθάρησαν, ὥστε καὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίου τῶν τε συννάων αὐτοῦ κακωθῆναι.* Id damnum Augustus restituit, eoque refero nummum ab Eckhel. Doctr. Numm. Tom. VI p. 122 allatum, in quo est inscriptio IOVI.OLYMpio, nisi is ad templum Iovis Olympii Athenis constitutum pertinet.

*Pompeium theatrum.* Diu dubius haesi, an emendandum esset, consensusque tantum exemplorum movit me, ut relinquerem, quod inveneram. Nunquam enim dicitur hoc theatrum *Pompeium,* sed aut *Pompeii* (Tacit. Annal. III, 72, Sueton. Calig. c. 21; Ammian. Marcell. XVI, 10, 14) aut *Pompeianum theatrum* (Sueton. Tiber. c. 47; Claud. c. 21; Tacit. Annal. VI, 45; Martial. X, 51, 11); itemque infra VI, 38 in clausula huius indicis est *theatrum Pompeii.* Causa eius rei quae fuerit, nescio, sed certa est ipsa res, idemque fit in reliquis theatris, ut *theatrum Marcelli* (Sueton. Aug. c. 29; Plin. nat. hist. VIII, 17, 25; Dio Cass. LIII, 30) aut *Marcellianum theatrum* (Sueton. Vespas. c. 19). Quare cum reliquerim quod inveneram, recte tamen videtur posse emendari. Ipsum aedificium notissimum est, Augusti quidem opera in eo restituendo ignota alias.

10. *rivos aquarum — refeci.* Testis est inscriptio a Chishullo allata apud Gruter. p. 177, 1 (Orell. n. 51): IMP.CAES.DIVI.IVLI.F.AVGVSTVS || PONTIFEX.MAXIMVS.COS.XII.TRIBVNIC.POTEST.XIX.IMP.XIIII || RIVOS AQVARVM.OMNIVM.REFECIT., unde id extremo anno 5 a. Chr. (749 urb.) factum esse discimus. Antea iam M. Agrippa anno 33 a. Chr. (721 urb.) ductus Appiae, Anionis, Marciae paene dilapsos restituerat. Vide Frontin. de aquaeduct. §. 9.

11. *aquam, quae Marcia appellatur — duplicavi.* Narrat Frontinus de aquaeduct. 12: *Idem Augustus in supplementum Marciae, quotiens siccitates egerent auxilio, aliam aquam eiusdem bonitatis opere subterraneo perduxit usque ad Marciae rivum, quae ab inventore appellatur Augusta.* Verum etiam alteram aquam, quae

Alsietina vocatur, ab Augusto perductam esse scribit Frontinus § 12, quam in hoc indice cur dicamus omitti? Neque enim aut hoc loco commemoratur aut infra in clausula totius monumenti. Causam esse arbitror, quod tantum naumachiae causa perducta est, idque ipsum significat Frontinus; parum enim salubris erat et ad bibendum inutilis.

12. *Forum Iulium — perfeci.* Inchoatum enim dedicarat Caesar anno 46 a. Chr. (708 urb.), Venerisque Genitricis statuam, priusquam absolveretur, in eo collocavit. Vide Dion. Cass. XLIII, 22; Appian. bell. civ. III, 28; Plin. nat. hist. XXXV, 12, 45. De loco, quo fuerit, magna est inter topographos urbis aeternae dissensio: nos h. l. satis habebimus laudare Bunsenium in descriptione urbis Romae Tom. III Part. II p. 139 sqq.; W. A. Beckerum in enchirid. antiquit. Roman. Vol I p. 364 sqq.

*basilicam, quae fuit inter aedem Castoris et aedem Saturni.* Est Iulia, quam non ita appellat h. l. Augustus, quia incendio consumpta erat alteramque eius loco sub alio nomine aedificarat; nam dedicatam esse a Caesare anno 46 a. Chr. (708 urb.) narrat Hieronym. p. 399. Itemque postea vocatur Iulia, ut a Sueton. in Calig. c. 37. Breviter de ea, quasi ipse Augustus perfecerit, tradit Sueton. in Aug. c. 29 (*fecit*) *porticum basilicamque Gaii et Lucii.* Qua ratione Caesar aedificarit, difficile est dicere nec mihi suffecerunt quae in eo genere disputavit W. A. Beckerus in enchirid. antiq. Rom. Vol. I p. 305 sqq.; quando combusta sit, ignotum est.

Vss. 15 — 18 interpretatio Graeca extat in fragmentis Ancyrae ab Hamiltono repertis. Vide infra.

17. *duo et octoginta templa deum — refeci.* De iis templis dicere Augustum, quae, cum vetustate collabi coepissent, restituerit et exornaverit, apparet; nam quae incendio perierant vel vetustate ita corruerant, ut a fundamentis reficienda essent, ea inter nova opera Augusti recensentur. Quare non opus est Chishulli longa de hac re disputatione. Sed recte ille comparat Sueton. in Aug. c. 30 *aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit*, et Ovid. Fast. II, 59 *Cetera* (templa) *ne simili caderent labefacta ruina, cavit sacrati provida cura ducis,* unde non recte colligit anno 12 a. Chr. (742 urb.), quo pontificatum maximum susceperit, ea templa refecta esse. Sunt enim refecta anno 28 a. Chr. (726 urb.), cum Augustus consul sextum esset; in cuius anni rebus Dio LIII, 2 sic refert: *τῶν δὲ δὴ ναῶν πρόνοιαν ἐποιήσατο· τοὺς μὲν γὰρ ὑπ' ἰδιωτῶν τινων γεγενημένους τοῖς τε παισὶν αὐτῶν καὶ τοῖς ἐκγόνοις, εἴ γέ τινες περιῆσαν, ἐπισκευάσαι ἐκέλευσε, τοὺς δὲ λοιποὺς αὐτὸς ἀνεκτήσατο.*

18. *quod vetus templum fuisset.* Sic, quamquam verba ipsa praestare nequeo, hunc locum explendum esse censeo referendumque eo, quod Dio loco supra citato tradit, Augustum deorum Aegyptiacorum cultum in ipsa urbe prohibuisse, sed reliqua templa maxima cum cura restituisse. Hoc igitur significat h. l. Augustus se veteris modo religionis templa, non nova et superstitione nuper inducta refecisse.

19. Quid Augustus hoc et insequenti versu commemorarit, certum esse potest ex clausula huius indicis infra VI, 38, ubi inter opera ab Augusto refecta via

Flaminia recensetur, quae cum in iis, quae supersunt, nusquam nominetur, certe hoc loco ut commemoretur, coniiciendo et supplendo efficiendum est. De illa autem via Flaminia refecta sic narrat Sueton. in Aug. c. 30 *Quo facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit,* et Dio LIII, 22 ἐν μὲν γὰρ τῷ προειρημένῳ ἔτει (i. e. anno 27 a. Chr., 727 urb., quo consul erat septimum) τὰς ὁδοὺς τὰς ἔξω τοῦ τείχους δυσπορεύτους ὑπ' ἀμελείας ὁρῶν οὔσας, τὰς μὲν ἄλλας ἄλλοις τισὶ τῶν βουλευτῶν ἐπισκευάσαι τοῖς οἰκείοις τέλεσι προσέταξε· τῆς δὲ δὴ Φλαμινίας αὐτός, ἐπειδήπερ ἐκστρατεύσειν δι' αὐτῆς ἔμελλεν, ἐπεμελήθη· καὶ ἡ μὲν εὐθὺς τότε ἐγένετο καὶ διὰ τοῦτο καὶ εἰκόνες αὐτῷ ἐφ' ἁψίδων ἔν τε τῇ τοῦ Τιβέριδος γεφύρᾳ καὶ ἐν Ἀριμίνῳ ἐποιήθησαν. Haec secutus sic supplendum esse putavi, ut supra in contextu monumenti scriptum est. Qua in re a litteris, quae superesse dicuntur, quantum potui, minime discessi. Nam in iis quae sunt IRVMINEA, latere mihi videbatur via *Flaminia,* tum quae in Tournefortiano et Lucasiano exemplo sunt, A.....BI, ita mutavi, ut disiunctis alteris binis litteris B mutarem in R scriberemque A[PPELLATV]R.IPSE cet., denique insequenti versu pro iis, quae traduntur IVME.LINV..LVM, scripsi S]VM[PSI.MV]N-[NIENDA]M. Nam hac voce finiendum esse versum maleque ab Chishullo etiam post eam notari lacunam demonstrat P. Lucae exemplum, in quo cum vs. 20 et 21 male coniungantur, nihil prorsus relinquitur spatii.

Vss. 21 — 26 interpretatio Graeca superest in fragmentis Apolloniae in Pisidia repertis. Vide infra.

21. *privato solo — Augustum.* De foro hoc praeclare egit Niebuhrius in Bunsenii descriptione Romae Tom. III Part. I p. 275 sqq., Tom. III Part. II p. 149 sqq. Insignis de eo locus est apud Sueton. in Aug. c. 29: *extruxit — forum cum aede Martis Ultoris. — Fori extruendi causa fuit hominum et iudiciorum multitudo: — itaque festinantius necdum perfecta Martis aede publicatum est. Aedem Marti bello Philippensi, pro ultione paterna suscepto, voverat.* Fuit igitur templum Martis Ultoris in ipso foro Augusto idque indicat etiam hoc loco Augustus eo, quod particula *que* utitur. Perfectum autem dedicatumque est templum anno 2 a. Chr., 752 urb., (Vellei. II, 100; Dio LV, 10) a. d. IV Id. Maias, ut ex kalendario Maffeiano et Ovid. fast. V, 579 intelligitur. Quomodo autem templum hoc Augustus eximie ornarit quidque in eius honorem statuerit, vide apud auctores, quos supra citavi. Diversum ab hoc fuisse sacellum illud Martis Ultoris in Capitolio, in quo signa a Parthis recepta collocata esse Dio LIV, 8 narrat, satis demonstrasse videtur Niebuhrius. Denique recte suppletur *privato solo empto,* ut dedit Franzius, non *privato solo dedicato*, ut Chishullus, aut *consecrato*, ut Fabricius voluerat; nam emptum esse solum testis est Sueton. Aug. c. 56: *Forum angustius fecit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos.* Rectius igitur erat, quod Gronovius suppleverat *privato solo comparato,* qui tamen in eo deceptus est, quod cum versuum spatium ignoraret, ea, quae in hoc versu extrema sunt, legebat *extruxi sed et.*

22. *theatrum ad aedem Apollinis* sqq. Quod ubi et quale fuerit, vide apud W. A. Beckerum in enchirid. antiq. Roman. Vol. I p. 678. Coeperat id Caesar anno 45 a. Chr., 709 urb. (Dio XLIII, 49), fundamentis certe iactis in solo partim privato, quod emerat, partim publico, in quo templum Pietatis fuerat (Plin. nat. hist. VII, 36), ut recte h. l. dicatur factum esse in solo *magna ex parte* a privatis empto. Absolvit Augustus et in honorem M. Marcelli anno 23 a. Chr., 731 urb., mortui (Dio Cass. LIII, 30) sub nomine eius dedicavit. Vide Sueton. August. c. 29 et 43. De anno, quo dedicatum sit, discrepant Dio Cass. LIV, 26, qui annum 13 a Chr., 741 urb., habet, et Plin. nat. hist. VIII, 17, 25, qui IV. Non. Maias anni 11 a. Chr. (743 urb.) nominat. Utrum rectius sit, discerni nequit. In verbis autem ipsis h. l. duas res notandas esse video. Primum iam W. A. Beckerus l. l. supplendum esse intellexit vs. 22 *a privatis* similiter ac Gronovius coniecerat *etiam a privatis*, pro eo, quod Chishullus volebat *ad id*, quod nec aptum est per se nec lacunam satis explet. Deinde quid esse dicamus, quod versu insequenti Chishullus tamquam ex Tournefortiano exemplo edidit *nitescit*? Neque enim theatrum coepit nitere, cum haec scriberentur, sed iam nitebat. Nec satis Latinum est, quod scribitur *sub nomine M. Marcelli generi nitescit.* Cuius enim gener fuit Marcellus? num Augusti? an alius? Adiici igitur oportebat *mei.* Quare non dubito, quin prior pars verbi *nitescit* ipsum hoc pronomen contineat, altera autem restituenda sit ex Lucasiano maxime exemplo, in quo sic traditur GENERI..IESSE.., similiterque in Cossoniano scribitur NITESSIT. Inde efficio, ut fuerit *quod sub nomine M. Marcelli generi mei esset.* Etenim cum multo ante mortuus esset Marcellus, quam absolutum est theatrum, id Augustus eo consilio aedificavit, ut illius nomen illustraret.

23. *dona de manibiis.* De iis Sueton. Aug. c. 30 (*aedes sacras*) *opulentissimis donis adornavit, ut qui in cellam Capitolini Iovis sexdecim millia pondo auri gemmasque ac margaritas quingentiens HS una donatione contulerit*; Dio LI, 22 καὶ τοῦτο (τὸ κοσμεῖσθαι Αἰγυπτίοις λαφύροις) καὶ τῷ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴῳ ὁσιωθέντι τότε ὑπῆρξε· συχνὰ γὰρ καὶ ἐς ἐκεῖνο ἀνετέθη καὶ ἕτερα τῷ τε Διῒ τῷ Καπιτωλίῳ καὶ τῇ Ἥρᾳ τῇ τε Ἀθηνᾷ ἱερώθη. Ex quibus intelligimus, quanti Augustus Iovem Capitolinum fecerit, in cuius cellam tantundem intulerit una donatione, quantum in reliqua templa contulit omnibus donationibus. Nostrae autem pecuniae summa, quae ab Augusto nominatur, est deciens aureorum. Denique rectius Ernestius ad Sueton. l. l. supplesse videbatur *dona de manibiis*, quam Chishullus *dona ex manibiis* vel is, qui in Bibliotheca selecta Tom. VIII p. 335 coniecerat *dona demum ex manibiis.*

26. *Auri coronari pondo triginta et quinque millia — quintum consul remisi,* i. e. anno 29 a. Chr., 725 urb., cum confecto bello Actiaco triplicem triumphum egit. Commemorat etiam Dio Cass. LI, 21 παρὰ τῶν πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον οὐκ ἐδέξατο. Quod Augustus cum faciebat, Italiam ex numero ceterarum provinciarum quasi eximebat et ad ipsius urbis dignitatem extollebat. Nam a provinciis accipiebat aurum coronarium.

28. *postea quotienscumque imperator appellatus sum*, i. e. deciens quinquiens. Cum enim omnino imperator appellatus sit viciens et semel (vide supra I, 22), bello Actiaco imperatorem sextum appellatum esse tradit Orosius VI, 19. Cf. Eckhel. Doctr. numm. Tom. VI p. 142. Discimus autem hinc, aurum coronarium non ad triumphos modo conferri consuevisse, sed quotienscumque princeps appellaretur imperator.

30. *et coloniis Italiae similiter*. Sic restitui pro iis quae Chishullus scripserat *et conferentibus quae tum* cet., quae omnino iusta sententia carent. Nec ita esse dicitur in apographis, sed ex Lucasiano quidem (nam in ceteris video lacunam solum significari) haec notantur ET.CO... N..S MQVESERILNE, quae cum intelligi nequeant, viam tamen veri inveniendi demonstrant. Cum enim supra vs. 27 municipiis et coloniis Italiae Augustus se dicat in consulatu quinto aurum coronarium remisisse, parum probabile est, postea eum, ubi imperii opes convaluerant, liberaliorem fuisse omnibusque municipiis (et plurima erant extra Italiam) remisisse. Certum igitur esse debet, primum Italiam nominandam esse. Deinde coloniarum mentio cur deest? quae eodem iure ac meliore fortasse sunt quam municipia. Quare hae quoque nominandae erant. Supererat, ut adverbium adderetur, quod ad particulam *atque* pertineret. Ita scripsi *et coloniis Italiae similiter*.

31. *munus gladiatorium dedi meo nomine*. Quotiens ediderit, incertum est; periit enim numerus in versu antecedenti. Nec tamen raro editum esse puto. Nam cum decem millia hominum in iis muneribus pugnasse ipse scribat vs. 33, ac sancitum sit anno 22 a. Chr. (732 urb.), ne plus quam centum et viginti gladiatores uno munere ederentur (Dio Cass. LIV, 2), si in imperatoris muneribus ducenos homines pugnasse existimes, efficietur, ut omnino quinquagiens munus gladiatorium ediderit. Commemorantur autem tamquam praecipua apud Dionem Cassium haec, anno 29 a. Chr. (725 urb.) in templo Divi Iulii dedicando (Dio Cass. LI, 22), rursus insequenti anno (Dio LIII, 1), tum in dedicatione theatri Marcelliani (Dio LIV, 26), tum in templo Apollinis dedicando (Dio LV, 10). Notabile autem est quod dicit se *dedisse* munus, non *edidisse*, contra regulam, quam posuit F. A. Wolfius ad Sueton. Aug. c. 43.

*quinquiens filiorum meorum aut nepotum nomine*. Commemorat Dio libr. LIV, 28 et 29 id, quod anno 12 a. Chr. (742 urb.) filiorum i. e. C. et L. Caesarum nomine factum est eo tempore, quo M. Agrippa decessit, tum alterum, quod Augustus dedit nomine Germanici, Tiberii filii, nepotis sui, anno 6 p. Chr. (759 urb.), tertium anno 12 p. Chr. (765 urb.) factum. Vide libr. LVI, 27. Itemque Plin. nat. hist. II, 25 et VIII, 2 munus Germanici Caesaris commemorat.

33. *Bis athletarum undique accitorum certamina* sqq. Chishullus scripserat: *Bis* (*dedi f*)*erarum undique accin*(*ctarum* . . . . . *spectac*)*ula pro*(*prio meo*) *nomine*, in quibus compluria sunt, quae ferri nequeant. Primum enim quis dicat de ferarum spectaculis? Eae venationes Latine dicuntur commemoranturque infra vs. 40. Tum

*accinctarum* ferri non posse statuit Franzius, qui *accitarum* emendandum esse intellexit. Denique non est Latinum *proprio meo nomine*, nec unquam in hoc indice rerum suarum sic dicit Augustus, sed sufficit *meo nomine*. Quare cum intelligerem ea, quae Chishullus scripserat, falsa esse, ab eoque ea tamquam ex exemplo Tournefortiano referri, quae in eo non invenirentur, suspicarer, in Lucasiano exemplo haec esse reperi: BIS..H..ETARVM.VNDIQVE.ACCIN.... || ............VLO PR........NOMINE.ET cet. Inde praeter unam litteram servatis reliquis omnibus effeci id, quod supra in contextu positum est. Nimirum Suetonius, a quo ipsa prope huius monumenti verba expressa esse cum supra nonnunquam intellexerimus, tum infra vs. 43 videbimus, in Aug. c. 43 haec habet: *athletasque (edidit) extructis in campo Martio sedilibus ligneis,* et quantopere Augustus omnino et Latinorum et Graecorum athletarum certaminibus delectari solitus sit, narrat idem c. 45. Atque unum certe tale certamen quando factum sit, tradit Dio Cass. libr. LIII, 1 anno 26 a. Chr. (728 urb.): καὶ γυμνικὸς δὲ τότε ἀγὼν σταδίου τινὸς ἐν Ἀρείῳ πεδίῳ ξυλίνου κατασκευασθέντος ἐποιήθη. Stadium igitur Graecorum more extruxit Augustus in campo Martio ad una haec certamina destinatum ideoque recte h. l. potest praedicare, se athletarum certamina edidisse *in spectaculo proprio.* Quod autem athletas undique Romam accivit, imitatus est Sullam, quem Appian. bell. civ. I, 99, cum Mithridatici belli gloriam celebrare vellet, idem fecisse narrat. Cf. etiam infra VI, 39.

35. *Ludos feci meo nomine quater* sqq. Recte Chishullus intellexit, hinc expressa esse, quae Suetonius in Aug. c. 43 habet: *Fecisse ludos se ait suo nomine quater, pro aliis magistratibus, qui aut abessent aut non sufficerent, ter et viciens,* quo tamen loco non satis recte ad haec supplenda usus est. Scribit enim *aliorum autem magistratuum absentium ter et viciens,* cum ipse coniunctivus apud Suetonium *aut abessent aut non sufficerent* significet, non alterum modo ex his attributis ab Augusto scriptum fuisse, sed utrumque. Itaque necessario scribendum erat *aliorum autem magistratuum absentium aut non sufficientium*, aegreque adeo careo priore *aut,* quod addidissem, si spatium versuum admittere videretur. Praeter ludos Veneri Genitrici factos, de quibus conferendus est imprimis Plin. nat. hist. II, 23, Chishullus etiam alios commemorare potuit, saepe cum muneribus gladiatoriis coniunctos, ut vide Dion. Cass. LI, 22; LIV, 26; LV, 10. Dubitarunt autem multi, ut Lipsius et Casaubonus, num *quater* recte legeretur apud Suetonium; intelligebant enim necessario multo saepius Augusto ludos fuisse faciendos suo nomine vel ideo, quod ter et deciens consul esset. Nimirum non perspexerant illi, id quod Ernestius ad Suetonii locum, quem dixi, docuit, non *quater* Augustum dici ludos fecisse suo nomine, sed *quater et viciens,* et hoc *viciens* ex eo, quod vs. 36 est *ter et viciens,* esse repetendum.

36. *In collegio XV virorum magister adlectus — summa cum cura feci.* Antequam hanc lectionem confirmem eaque, quae Chishullus scripsit, refutem, faciendum est, ut pauca de ipsa re praemittantur. Ludos saeculares constat ab Augusto

celebratos esse anno 17 a. Chr. (737 urb.): testes praecipui sunt Censorinus de die natali c. 17: *Quintos ludos (saeculares) C. Furnio C. Iunio Silano coss. anno DCCXXXVII Caesar Augustus et Agrippa fecerunt*; Dio Cass. LIV, 18 τὰ σαικουλάρια τὰ πέμπτα ἐπετέλεσεν. Cf. Sueton. Aug. c. 31. Qua ratione temporis definiendi Augustus usus sit, explicant Ernest. ad Tac. Annal. XI, 11 et Ideler. in Chronolog. veter. Vol. II p. 82. Hoc constat, Augustum usum esse libris Sibyllinis non modo ad annum, quo celebrandi essent, inveniendum, sed etiam ad ritus cerimoniasque, quibus utendum esset, describenda. Conferatur copiosa ea de re narratio Zosimi II, 5 et 6 et scholiasta Cruqian. ad Horatii carmen saeculare. Antiquitus autem curam eorum ludorum fuisse penes XV viros sacris faciundis, qui item libros Sibyllinos asservabant, constat ex Tac. Annal. XI, 11, qui de celebratione eorum ludorum, quae Domitiano imperante facta est, dicit, et ex nummis apud Eckhel. Doctr. numm. Vol. VI p. 102. Iam cum ex locis, quos supra laudavi, certum sit, hos quintos ludos saeculares factos esse ab Augusto et M. Agrippa, probabile est, rem eadem ratione administratam esse, qua anno insequenti 16 a. Chr. (738 urb.) quinquennales ludi facti sunt, de quibus Dio LIV, 19 sic narrat: κἀν τούτῳ τὴν πενταετηρίδα τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ (τοῦ Αὐγούστου) διεώρτασεν, τοῦ Ἀγρίππου (ἐν γὰρ τοῖς πεντεκαίδεκα ἀνδράσιν, οἷς ἐκ τῆς περιτροπῆς ἡ διοίκησις αὐτῆς ἐπέβαλλεν, ἱέρωτο διὰ τῶν συνιερέων) ἀναλώσαντος, i. e. ut Augustus cum Agrippa pro ceteris quindecimviris sumptus fecerint his ludis saecularibus. Quod ut facere possent, oportebat ipsos esse quindecimviros. Atque Agrippam quidem fuisse ex Dionis testimonio, quod modo citavi, novimus; Augustus num fuisset, dubitavit Eckhel. Doctr. Numm. Tom. VI p. 102, equidem, quamquam fastorum fragmentis apud Gruterum p. 295 nimium quidem mutilis, ad quae Chishullus provocat, uti nolo, propterea non dubito, quia imperatores in omnia collegia adlegi consuevisse constat. Quare Augustus ipso illo tempore, quo ludi celebrandi erant, atque adeo ad ipsam illam rem inter XV viros videtur adlectus esse, et quidem *magister*. Huc enim pertinent, quae vs. 36 superesse dicuntur MAGI.... Iam Chishulli supplementa haec fuerunt: .....*(in colle)gio XV virorum magi(ster* || *adlecto in) collegium M. Agrippa . . . per qu(inde)ci(mviro)s C. Furnio C. Silano cos.* || *qui)n(tos) ludos (feci nulli vivorum visos ante i)d. tempus deinde* ...... In quibus primum *in collegio* quo pertineat, nescitur, deinde cur solus Agrippa existimetur adlectus esse in collegium, nulla causa est, tum non *per quindecimviros* fecit Augustus, sed *pro iis* (nam illorum proprie munus erat) nec in exemplo Lucasiano est PER . QV... CI.... S, quae Chishullus tamquam ex Tournefortiano affert, sed ..VPQV....CI....S, denique cur additur *ante id tempus*, si ludi saeculares nulli vivorum visi sunt? Nec vero probabiliora, quae Chishullus in addendis proponit ad vss. 38 et 39 explendos: *Ludos saeculares intermissos ad id tempus, deinde post CX annum, ut edicto monui, repetendos*, in quibus nec Latinitas constat (neque enim ferri potest *ad id tempus intermissos* nec *deinde*, pro quo esse oportebat *tum*) nec sententia. Cur enim edictum potius suum commemoret, quam libros Sibyllinos, quos si de ea re edictum

proposuit, sequi se significabat? Quae cum ita sint, locum totum ita scribendum esse putavi, ut supra in contextu posui, nulla iam lacuna aut vs. 36 aut vs. 39 relicta. Nec recessi ab iis litteris, quae traditae sunt, nisi quod vs. 37 lenissima mutatione pro COLLEGIVM . M . AGRIPPA scripsi COLLEGI . CVM . M . AGRIPPA, deinde quod eodem versu lego *pro quindecimviris*: denique vs. 38 necessario faciendum esse putavi, ut DEINDE, quod explicari posse desperabam, in duas voces disiunctum mutarem in IN]I[TA] . E[X . ORACVLO cet. Iam cum verba quidem ipsa nemo postulare possit, ut eadem ubique, imprimis vs. 39, posuerim et eodem ordine atque Augustus posuit, sententiam tamen videor fere esse assecutus. Ac ne quis existimet minus Latinum esse *adlectus in collegio* (sic enim coniungendum est), conferat apud Maffeium in Museo Veron. p. 377, 8 (Orell. Collect. Inscript. n. 3146) *ascitus in numero*, aliaque, quae attuli in quaestione de honorum gradibus sub imperatoribus Hadriano et Antonino Pio in Museo Rhenano anni 1842 p. 271.

39. *Venationes bestiarum Africanarum.* Sic recte suppleverat Chishullus. Solebant eae venationes coniunctae esse cum aliis ludis (nam tamquam singulare aliquid Sueton. Aug. c. 43 commemorat: *aliquando nihil praeter venationem edidit*) et cave existimes numerum bestiarum, quem Augustus narrat, nimium esse. Nam in theatri Marcelliani dedicatione occisas esse Dio LIV, 26 tradit feras Africanas sexcentas (*καὶ θηρία Λιβυκὰ ἑξακόσια ἀπεσφάγη*), quo eodem tempore tigrim mansuefactam in cavea ostensam esse addit Plin. nat. hist. VIII, 25, et anno 12 p. Chr. (765 urb.) Germanicus, Augusti nepos, vel Augustus pro nepote leones ducentos trucidandos exhibuit. Dio LVI, 27. Quando ab Augusto quadringentae viginti illae ferae, de quibus Plin. nat. hist. VIII, 24 narrat, exhibitae sint, non constat; sed intelligimus ex eo loco, recte hic dici bestias *Africanas*, non *Africas*, ut est in exemplo Lucasiano. Cf. Liv. XLIV, 18; Sueton. Calig. c. 18; Claud. c. 21.

41. *aut in amphitheatris.* Mirum hoc iure videatur. Constat enim unum tunc fuisse amphitheatrum Statilii Tauri, anno 29 a. Chr. (725 urb.) dedicatum, vide Dion. LI, 23, Sueton. c. 29, ideoque Sueton. in Aug. c. 43, ubi de muneribus Augusti dicit, haec habet: (Munera) *non in foro modo, nec in amphitheatro, sed in circo et in septis* (*edidit*), uno appellato amphitheatro. Quare Augustus videtur significare, se nonnunquam amphitheatrum, ligneum, opinor, ad nonnulla munera edenda aedificasse, ut Caesarem fecisse narrat Dio XLIII, 22, eaque ipsa causa est, cur non *septa* etiam commemorarit.

43. *Navalis proeli spectaculum.* Tempus occasionemque huius spectaculi narrat Vellei. Paterc. II, 100 *At in urbe eo ipso anno, quo magnificentissimis gladiatorii muneris naumachiaeque spectaculis divus Augustus abhinc annos triginta se et Gallo Caninio consulibus* (i. e. altera parte anni 2 a. Chr., 752 urb.) *dedicato Martis* (Ultoris) *templo animos oculosque populi Romani repleverat* cet. Haec ipsa autem, de quibus agimus, Augusti verba expressit Sueton. in August. c. 43 *item navale proelium* (edidit) *circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Caesarum nemus est,*

in una re discedens, quod *circa Tiberim* dicit, cum in hoc monumento Chishullus, tamquam ex Tournefortiano exemplo, exhibeat *trans Tiberim,* idemque Lucasiano, ubi POPVLO......ANS EIBERIM est, confirmari videatur. Verum magnam de loco, quo fuerit naumachia, dubitationem movet Tacit. Annal. XII, 56, qui de ipso hoc Augusti spectaculo agens struxisse eum ait naumachiam *cis Tiberim.* Nec eo loco ulla lectionis varietas annotatur aut W. A. Beckeri coniectura in enchirid. antiq. Rom. Vol. I p. 657 probabilis est. Qui cum emendet *uls Tiberim,* ita loqui iubet Tacitum, ut in certa aliqua formula vulgus Romanorum loquebatur, per se nullo alio vocabulo adiecto ne vulgus quidem. Certa enim est formula *cis Tiberim et uls Tiberim* (Varro de ling. Lat. V, 15 p. 88; Gell. XII, 13, 8; Pompon. Digg. I, 2, 2 § 31), alias non usurpatur *uls.* Neque omnino a Beckero l. l. ea argumenta afferri video, ex quibus certo constet, Augusti naumachiam trans Tiberim fuisse. Nam Statius Silv. IV, 4, 5 *Continuo dextras flavi pete Tibridos oras, Lydia* (i. e. Etrusca) *qua penitus stagnum navale coercet ripa suburbanisque vadum praetexitur hortis,* quid impedit, quominus de Domitiani naumachia intelligatur? De qua Sueton. Domit. c. 4 *Edidit navales pugnas paene iustarum classium effosso et circumstructo iuxta Tiberim lacu,* similiaque Dio Cass. LXVII, 8 narrat, neuter, in utra ripa fuerit, decernit. Tum Frontin. de aquaeduct. c. 11, qui suspicatur Alsietinam aquam, quam constat Transtiberinam fuisse, ab Augusto ideo perductam esse, ne quid in opere naumachiae salubrioribus aquis detraheret, nequaquam dicit naumachiam ipsam fuisse Transtiberinam. Ut enim reliquae aquae per Tiberim pontibus transducebantur, item poterat Alsietina. Quare cum mihi incertum esse videatur, in utra ripa Augusti naumachia fuerit, nec emendandum esse censeo apud Tacitum et in hoc monumento dubito, an non *trans Tiberim,* sed aut *circa Tiberim* aut *cis Tiberim* scribendum sit. Hoc enim prope certe intelligo, in Tournefortiano exemplo non fuisse *trans,* sed sic expletum esse Chishulli ingenio; *ans* autem, quod apud Lucam est, facile poterat oriri aut ex eo, quod scriptum erat *cis* aut ex *circa.*

*in quo loco nunc nemus est Caesarum.* Iisdem verbis utitur Sueton. Aug. c. 43, quem locum supra attulimus: accuratius loquitur Tacit. Annal. XIV, 15 *extructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula.* Cave igitur credas Suetonii interpretibus, qui, quia Augustus dicit *nunc* in loco naumachiae esse nemus Caesarum, oppletum rursus esse stagnum statuunt, quod proelii navalis causa effossum erat; ipsaque praepositio *in* significat, non loco naumachiae factum esse nemus Caesarum, sed iuxta et circa eam. Mansit stagnum, de quo cf. etiam Dio LXI, 20, eoque rursus ad simile spectaculum usus est imperator Titus, ut Suet. Tit. c. 7: *edidit et navale proelium in veteri naumachia,* et Dio Cass. LXVI, 25 narrant: ἄλλοι δὲ (ἐναυμάχησαν) ἔξω ἐν τῷ ἄλσει τῷ τοῦ Γαΐου τοῦ τε Λευκίου, ὅ ποτε Αὔγουστος ἐπ' αὐτὸ τοῦτ' ὠρύξατο, ex quo loco simul hoc discimus, ideo dici nemus Caesarum, quia id in filiorum suorum vel mortuorum memoriam vel viventium honorem Augustus dedicarat. Atque adeo suo tempore aliqua veteris huius naumachiae,

itemque, opinor, nemoris Caesarum vestigia superesse tradit Dio LV, 10. Infra Tab. VI, 36 hoc nemus in novis Augusti operibus recensetur. Alia, quae ad idem referuntur, minus probo, ut, num id recte Chishullus apud Sueton. in Tib. c. 72, qui Tiberium narrat *triremi usque ad proximos naumachiae hortos* subvectum esse, intelligendum esse dixerit, magnopere dubito; nam etiam privatos hortos multos naumachiae subiacuisse refert Frontinus de aquaeduct. c. 11. Nec quod W. A. Beckerus in enchirid. antiq. Rom. Vol. I p. 657 censet eodem hoc loco, quo postea naumachia et nemus Caesarum instituta sunt, fuisse aliquando superioris Caesaris hortos, quos testamento suo populo Romano legavit, satis nobis quidem eam rem probavit.

45. *in latitudinem mille et ducentum.* Unus Busbequius habet: IN . LATITVDINE.PEDES.DVCENTI.IN.QVO cet., quae falsa esse apparet, reliqua exempla eo, quod *pedes* est, quod Busbequius de suo ingenio videtur addidisse, recte omisso lacunaque notata IN.LATITVDINE....... DVCENTI.IN.QVO cet., nisi quod Chishullus in Tournefortiano exemplo significat fuisse IN.LATITVDINEM. Itaque Gronovius scripsit *cavato solo in longitudine mille et octingentos pedes, in latitudine erant mille et ducenti,* Chishullus *cavato solo in longitudinem mille et octingentos pedes, in latitudinem mille erant et ducenti.* Quarum rationum neutra mihi quidem satis placet, utpote in huius monumenti tanta simplicitate nimis artificiosa; sed pro DVCENTI.IN emendandum esse puto DVCENTVM. Sic omnia recte procedent et ablativus *quo* etiam sine praepositione ferri poterit.

46. *triginta rostratae naves* sqq. Conferendus est utique Tacitus Annal. XII, 56 de eo spectaculo scribens, quod imperator Claudius anno 52 p. Chr. (805 urb.) exhibuit: *Sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Lirin perrupto monte — lacu in ipso navale proelium adornatur, ut quondam Augustus structo cis Tiberim stagno, sed levibus navigiis et minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent* cet., quaeque alia habet de magnificentissimo illius naumachiae apparatu. Cf. etiam Dio Cass. LX, 33 et Sueton. in Claud. c. 21. Leviora igitur navigia minoremque pugnantium numerum Augustus exhibuerat, quam Claudius. Inde intelligimus falsum esse, quod Chishullus supplevit vs. 48 *millia hominum triginta circiter*, quem tantum numerum armatorum praeter remiges capere alioquin non poterant triginta naves, praesertim leviores. Atque in Claudii spectaculo pugnasse narrat Dio l. l. centum naves. Falsum igitur etiam illud est, quod vs. 48 Chishullus superesse tradit in exemplo Tournefortiano: MILLIA.......TA.CIRCITER, nec id exhibent reliqua, sed cum Cossonius lacuna relicta sic habeat MILLIA.H......... CIRCITER, Lucas haec ait posse discerni MILLIA.........EA.CIRCITER. Iam, cum extrema alterius ultimi vocabuli littera A certa esse videatur, supplendum esse puto MILLIA.HOMINVM.TRIA.CIRCITER; saepe enim E et I in hoc monumento commutata esse iam supra demonstratum est ad III, 28. Atque totidem homines in eo spectaculo, quod imperator Titus in veteri naumachia Augusti edidit,

pugnasse narrat Dio LXVI, 25: καὶ τῇ τρίτῃ (ἡμέρᾳ) ναυμαχίᾳ τρισχιλίων ἀνδρῶν. Porro autem Taciti locus, quem supra attuli, an doceret vs. 46 non esse supplendum *triremes et quadriremes*, sed *triremes et biremes*, diu dubitavi; verum triremes ac quadriremes modo leviores modo graviores fuisse recte videtur posse statui.

47. *In iis classibus*. Recte docet Gronovius, classes, quae in hoc spectaculo pugnarint, nominatas esse *Atticas et Persicas*. Testes sunt Ovid. de art. amand. I, 71: *Quid modo, cum belli navalis imagine Caesar Persidas induxit Cecropidasque rates*? itemque excerpta Dion. libr. LV, 10: καὶ ναυμαχία ἐν τῷ χωρίῳ, ἐν ᾧ καὶ νῦν ἔτι σημεῖά τινα αὐτῆς δείκνυται, Περσῶν καὶ Ἀθηναίων ἐποιήθη. Similiter Caesar, cum naumachiam ederet, induxerat Tyrias et Aegyptiacas classes (Sueton. Caes. c. 39), Claudius Siculas et Rhodias (Sueton. Claud. c. 21; Dio Cass. LX, 33), Titus Atticas et Syracusanas (Dio LXVI, 25). Sed non recte fecit Gronovius, quod supplevit etiam *Atticis et Persicis classibus*, quod retinuit Chishullus. Neque enim Latinum est: *triginta triremes inter se conflixerunt classibus*, nec, quia Suetonius caret nominibus classium exhibitarum, Augustus ipse videtur nominasse. Quare simpliciter scripsi *In iis classibus*.

49. *in templis omnium civitatium Achaiae et Asiae*. Quo haec pertinerent, Casaubonus indicavit, qui Strabon. libr. XIII p. 595, cum quo loco Chishullus iubet conferri libr. XIV p. 637, laudavit, ut M. Antonii furta demonstraret; nam Antonius est *is cum quo bellum gesseram*, qui versu insequenti significatur. Imprimis nobile est illud exemplum, de quo Plin. in nat. hist. XXXVI, 8, 9, 13 narrat: *Fecit Myro et Apollinem, quem a III viro Antonio sublatum restituit Ephesiis divus Augustus, admonitus in quiete*. In supplendo autem hoc loco recessi a Chishullo, sic scribente *omnium civitatium p(rimarum Europae) et Asiae* cet., quasi Augustus primis modo vel primariis urbibus, quae Antonius sustulerat, reddiderit, minoribus non item. Nec Latine dicitur ita *Europa et Asia* nec, si diceretur, rectum esset hoc loco; nam ex Hispaniis et Galliis nihil auferre potuit Antonius. Quare probarem utique Gronovii supplementum *civitatium Peloponnesi et Asiae*, si ex sola Peloponneso artificia ab Antonio sublata esse existimarem. Qui certe ipsam etiam Graeciam vexavit, quae quantopere ab eo infestata sit, narrat Dio Cass. XLVIII, 59. Nec omnino illa littera P, quae Gronovium movebat, ut de Peloponneso dici existimaret, satis certa videtur esse: cum enim omittatur a Cossonio et Luca, solus Busbequius habet, auctor incertissimus; nam Chishullus num apud Tournefortium invenerit, dubito. Quare scripsi *Achaiae et Asiae*. Num autem scribendum sit *civitatum* an *civitatium*, incertum est; hoc praeter Lucam habet Chishullus.

51. *meae statuae pedestres et equestres* sqq. Supplementum *meae* est Chishulli; de re eadem tradunt Sueton. in Aug. c. 52 *Atque etiam argenteas statuas, olim sibi positas, conflavit omnes, ex quis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit*; Dio Cass. LIII, 22: ἀνδριάντας τινὰς ἑαυτοῦ ἀργυροῦς πρός τε τῶν φίλων καὶ δήμων τινῶν γεγονότας, ἐς νόμισμα κατέκοψε. Omnino enim Augustus statuerat nullam

aream aut argenteam statuam accipere, et si qui ad eam rem pecuniam publicam contulerant, deo alicui, non sibi posuit, ut Dio LIV, 31 eum anno 11 a. Chr. (743 urb.) Saluti publicae et Concordiae Pacique ex tali pecunia signa collocasse narrat. Hoc cum secutus esset Augustus, Dio LII, 35 ita ei suadere fingit Maecenatem.

## TABVLA QVINTA.

1. *mare pacavi a praedonibus.* Minus recte haec Casaubonus interpretari videtur, qui laudat Sueton. Aug. c. 98, ubi nautae Alexandrini gratulabundi Augusto iam seni et in extremo vitae anno dicunt *per illum se vivere, per illum navigare.* Nam solum Sexti Pompeii bellum dici h. l. intelligimus ex iis, quae sequuntur. Similiter autem de eodem bello dicit Vellei. II, 73, a Chishullo citatus: *Is — occupata Sicilia servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens magnum modum legionum effecerat, perque Menam et Menecratem, paternos libertos — latrociniis ac praedationibus infestato mari* cet. Nec assentans ita scribit Velleius, sed vere. Vide quae imprimis Appian. bell. civ. V, 77 de pace post annum 39 a. Chr. (715 urb.) rursus turbata narrat, itaque ipse Caesar litteris missis populum Romanum docuerat, ut idem Appian. c. 81 refert.

*eo bello servorum qui fugerant.* Tradit Appian. bell. civ. V, 131, repente Augustum clam ad duces militum missis mandatis comprehendisse servos fugitivos, qui in exercitibus militabant, eosque, quorum dominos inveniret, his ad supplicium tradidisse, reliquos ante portas urbium, unde quisque aufugerat, in crucem egisse, quamquam iis antea senatus poscente Sexto Pompeio libertatem concesserat. Brevius idem narrat Dio XLIX, 12, ex quo tamen hoc discimus, non eos servos, qui in classibus remiges erant, punitos esse, sed qui in legionibus milites. Atque ita par erat; nam in classibus moris erat esse servos habebatque ipse Augustus. Numerus servorum nec apud Dionem nec apud Appianum invenitur atque etiam hoc loco incertus esset, nisi eum confirmaret Orosius VI, 18, qui sex millia servorum ab Augusto in crucem acta esse addit. Poterat enim non *triginta* modo, quod Chishullo placuit, sed etiam *quadraginta* aut *quinquaginta* aut reliqua suppleri. Sed illud certum est, non recte a Chishullo scriptum esse *fugissent*; parum enim inter se conveniunt *qui — fugissent* et *arma — tulerunt.* Iam cum *tulerunt* vel *tulerant* satis tutum esse videatur, propterea quod in exemplo Lucasiano est ... TERNVTI .... NIA, sequitur, ut item esse oporteat *fugerant,* idemque suadet Lucasianum exemplum, in quo est EVGENIENTA.DOMINIS i. e. FVGERANT.A.DOMINIS. Quare utroque loco plusquamperfectum posui.

3. *iuravit in mea verba tota Italia,* anno 32 a. Chr. (722 urb.), cum bellum pararetur contra M. Antonium. Narrat de eo iureiurando Dio L, 60 καὶ τοσαύτῃ γε προθυμίᾳ ἀμφότεροι (i. e. Augustus et Antonius) ὁμοίως ἐχρήσαντο, ὥστε καὶ ἐνόρκους τὰς συμμαχίας σφῶν ἑκατέρῳ ποιήσασθαι; de Italia praeterea Sueton. Aug. c. 17

*Bononiensibus quoque publice, quod in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus suis* i. e. Bononiensibus iusiurandum, quod reliqua Italia praestabat, remisit, cui loco non recte Casaubonus existimat repugnare, quod Dio L, 6 narret, Bononiae novos colonos ab Augusto constitutos esse, quo magis urbem in potestate sua teneret. Nam quamquam veteribus incolis iusiurandum remisit, ne quid tamen ii novarum rerum molirentur, novos colonos adiecit.

4. *et me pro victoria reipublicae ducem depoposcit.* Aliter suppleverat Chishullus *et me pro victis ducibus ducem depoposcit*, quod Augustum putabat h. l. illud Antonii opprobrium purgare, quasi M. Lepidum iniuria de imperio detrusisset. Vide Dion. L, 1. At Lepidus unus est dux, non plures; Sextus autem Pompeius, qui hostis iudicatus erat, prorsus hoc loco dici non poterit. Quare hoc arbitror Augustum dicere, se a republica ipsa ducem electum esse; putabatur enim Antonius ea tota sublata imperium in Aegyptum esse translaturus, quae opinio maximum ei odium apud omnes contraxit. Vide Dion. L, 40. Itaque supplevi *pro victoria reipublicae*.

*iuraverunt in eadem verba Galliae* cet. Easdem provincias ab Augusti partibus stetisse narrat Dio L, 50: ἔθνη γὰρ τοσάδε ἑκατέρῳ τόνδε τὸν πόλεμον συνήρατο· Καίσαρι μὲν ἥ τε Ἰταλία ..... καὶ ἡ Γαλατία τό τε Ἰβηρικὸν καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν καὶ Λίβυες. — Σαρδώ τε καὶ Σικελία καὶ αἱ ἄλλαι νῆσοι αἱ ταῖς εἰρημέναις ἠπείροις συνεχεῖς συνεμάχησαν, ubi, si a minoribus insulis recedas, una provincia est, quam Augustus h. l. omittat, *Illyricum*, sed eam ipsam tamen coniectura efficiendam esse censeo vs. 6, ubi in exemplo Lucasiano et Tournefortiano superesse dicuntur litterae QVI. Cf. infra in hac tabula vs. 46.

6. *iuraverunt in mea verba senatores plures quam DCC.* Facile credo Chishullo hos septingentos senatores fuisse eos, qui, cum a partibus Augusti essent, idem iusiurandum, quod provinciae, quas supra dixit, praestiterunt. Ac constat civilium bellorum tempore fuisse supra mille in senatu. Vide Sueton. in Aug. c. 35. Ideo supplevi hoc versu *Iuraverunt in eadem verba*, et in insequenti *Cn. Domitio C. Sosio consulibus*, qui fuerunt illo anno, quo provinciae iuraverunt, facileque fieri potuisse existimo, ut ex praenomine Domitii fieret IN, quod superesse tradunt Chishullus ex Tournefortio et Lucas. Sed hoc non credo Chishullo centum septuaginta, qui vs. 8 commemorantur, esse illos senatores, qui cum M. Antonii rebus faverent, iurare noluerint et cum ipsis consulibus ex Italia abierint (Dio L, 3). Neque enim Augustus addere solet ea, quae inimici sui habuerint, nec poterat id facere, quin vituperationem aliquam contraheret, quod tot civium Romanorum voluntatem sprevisset. Quamquam quid vs. 8 scriptum fuerit, ne coniectura quidem invenire queo, necessarioque lacunam reliqui: unum illud HAEC addidi; nam extremum vitae Augusti annum, quo hic index confectus est, significari arbitror.

Vss. 9 — 20. Interpretatio Graeca mutila extat in fragmentis Ancyrae repertis ab Hamiltono, ex qua nonnulla in his Latinis restitui potuerunt. Vide infra.

9. *Omnium provinciarum — fines auxi.* Nihil videtur esse supplendum nisi *populi Romani.* Vere enim omnium provinciarum, quae possent amplificari, fines Augustus auxit. De Galliis et Hispaniis et Rhaetis et Pannoniis et notum est et paulo post dicetur; in Asia Galatia et Lycaonia provincia facta est anno 25 a. Chr., 729 urb. (Dio Cass. LIII, 26; Strabo XIV, 5); in Ponto omnes civitates maritimas adiectas esse scribit Eutrop. VII, 5: de Syria vel propter expeditionem in Arabiam susceptam probabile est; Aegyptus non solum ipsa adiecta, sed etiam amplificata expeditione Aethiopica; in Africa fines item auctos esse scribit Dio LIII, 26. Breviter omnia, quae Augustus expugnavit et imperio populi Romani addidit, enarrat Sueton. in Aug. c. 21. Insequenti autem versu cum Chishullus supplevisset *quae nondum subiectae erant populo Romano,* cum tot verba lacuna, quae relinquitur, non recipiat, malui scribere *quae nondum parerent imperio nostro.*

10. *Gallias et Hispanias provincias, quousque eas alluit Oceanus.* Sic ipse scripsi pro iis, quae Chishullus suppleverat *Gallias et Hispanias provinciasque .... quas alluit Oceanus,* in quibus parum recta est sententia. Nullae enim aliae sunt provinciae Romanae praeter Gallias et Hispanias, quas Oceanus inde a Gadibus usque ad Albim fluvium alluat; nam etiam Lusitania et Aquitania communibus Galliarum et Hispaniarum nominibus comprehenduntur et quicquid Germaniae ab Augusto subactum est, non peculiaris provincia facta, sed Galliis adiectum est. Atque in Graeca interpretatione hoc loco haec supersunt ..... χαθὼς ὠκεανὸς, quae ita emendo, ut sit καθὼς ὠκεανὸς i. e. *quousque Oceanus*, itaque totum hunc locum constitui. Quod autem Augustus *Albim fluvium* tamquam terminum imperii Romani nominat, idem facit Sueton. Aug. c. 21 *Germanos ultra Albim fluvium summovit,* eumque imitatus Eutrop. VII, 5 (*Germanos*) *trans Albim fluvium summovit, qui in barbarico longe ultra Rhenum est.* Etiam Strabo VII, 1, 4 narrat, Augustum non permisisse imperatoribus Romanis, ut ultra Albim fluvium progrederentur.

12. *et quae pertinent a regione ea.* Dixerat de Galliis et Hispaniis, iam dicit de gentibus Inalpinis pacatis; eas enim significari inde constat, quod vs. 13 *ad Tuscum,* i. e. mare, scribendum esse intelligimus ex Graeca interpretatione, ubi haec supersunt μέχρι Τυῤ[ρηνικοῦ]. Quare hunc versum supplendum esse existimavi secundum inscriptionem apud ipsas Inalpinas gentes Augusto positam, quam refert Plin. nat. hist. III, 24, 136: *Imperatori Caesari, Divi filio, Augusto, pontifici Maximo, Imperatori XIIII, tribuniciae potestatis, senatus populusque Romanus, quod eius ductu auspiciisque gentes Alpinae omnes, quae a mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium populi Romani sunt redactae.* Sic igitur supplevi *et quae pertinent a regi)one ea* cet. Chishullum, qui totum locum quo pertineret, non intelligeret, non mirum est partim lacunam reliquisse partim supplesse *ab usque regi)one ea* cet. Quod autem Augustus dicit *Hadrianum mare,* meliore forma utitur, ut

Cicero in Pison. 38, 92; nam altera *mare Hadriaticum* minus probanda, qua inter scriptores primus utitur Livius X, 2, 4.

13. *ad Tuscum composui.* Sic partim secundum Graecum exemplum restituit Franzius, partim ipse scripsi de coniectura. Nam quas provincias quosque populos Augustus dixerit, intelleximus, quid in iis fecerit, quaeritur. Non adiecit eas imperio: siquidem dudum Galliae et Hispaniae provinciae Romanae erant, sed denuo armis perlustravit, quae imprimis in Hispaniis et in Germanorum finibus variis temporibus turbabantur, pacavit et composuit. Nec tamen probaverim, quod Chishullus volebat *armis perlustravi* aut *ad obsequium redegi,* ut Sueton. dicit Aug. c. 21 *alias item nationes male quietas ad obsequium redegit*; magna enim Hispaniarum et Galliarum pars quietissima fuerat, nec tot verba recipit lacuna in hoc versu relicta. Quare, ut etiam Graeca interpretatio, ex qua superest extrema vocabuli syllaba ...... KA, commode suppleri possit διέθηκα, scripsi *composui.* Quod autem sequitur *nulli genti bello per iniuriam inlato,* refert Sueton. Aug. c. 21 *nec ulli genti sine iustis et necessariis causis bellum intulit.*

14. *classis Romana* sqq. Factum est anno 5 p. Chr. (758 urb.). Velleius II, 106: *Classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victori cum abundantissima rerum omnium copia exercitui Caesarique se iunxit*; et Plin. nat. hist. II, 67, 167 *Septemtrionalis Oceanus maiore ex parte navigatus est auspiciis Divi Augusti, Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium et inde immenso mari prospecto aut fama cognito ad Scythicam plagam et humore nimio rigentia.* Hos locos indicavit Chishullus.

16. *Cimbrique et Charudes et Semnones.* Cimbri et Semnones satis noti sunt, Charudes recte statuit Chishullus esse eosdem, quos Caesar bell. Gall. I, 31 et 37 nominet *Harudes,* ideoque hoc loco scripsi *Charudes*; nam in Lucasiano exemplo est *Chariides,* in Tournefortiano *Charydes* esse Chish. narrat. Exciti autem erant hi populi terrore eius exercitus, quem Tiberius ipso illo anno 5 p. Chr., quo classis septemtrionalem Oceanum perlustravit, ad Albim adduxerat, legatosque Romam miserant ad dona offerenda pacemque petendam. Cimbros quidem, ut commode indicavit Franzius, Strabo libr. VII p. 293 narrat ad Augustum dona misisse lebetem, qui apud eos sacerrimus habetur, amicitiamque et iniuriam illatarum veniam petisse.

18. *Meo iussu et auspicio ducti sunt* sqq. In Arabiam anno 24 a. Chr. (730 urb.) Aelius Gallus exercitum duxit ad loca gentesque cognoscenda, in Aethiopiam anno 22 a. Chr. (732 urb.) C. Petronius, Aegypti praeses, qui Candacen, Aethiopum regem, ad pacem petendam legatosque ea de re mittendos adegit. De illa expeditione narrant Dio LIII, 29 et Strabo XVI p. 780, de hac Dio LIV, 5 et Strabo XVII p. 820. Supplementa autem vs. 19 sunt Chishulli, vs. 20 sententiam ita, ut scripsimus, restituimus; nam verba ipsa praestare nec possumus nec volumus. Mutavimus autem vs. 19 QVA.EA, quod et apud Lucam et apud Chishullum est, in

QVAE.A[D., tum vs. 21...ESAE in INV]ISAE subinviti hoc quidem, quia minus Latinum esse videatur. Reliquam lacunam commode explere nescimus.

24. Ab hoc inde loco extat interpretatio Graeca Ancyrae ab Hamiltono reperta, ex qua cum Latina certissime restitui possent, noluimus amplius Chishulli aliorumque supplementa, quae quidem falsa essent, commemorare, a quibus nonnunquam peccatum esse non mirum est. Simul ubi Chishullianum sive Tournefortianum exemplum ab iis, quae iam vera esse appareret, recederet, id inter varias lectiones reiecimus.

*Aegyptum populi Romani adieci imperio,* anno 30 a. Chr. (724 urb.), victa ad Actium Cleopatra.

*Armeniam maiorem — transferre.* Primam hanc Tiberii expeditionem accurate et recte narrat Dio Cass. LIV, 9. Anno 20 a. Chr. (734 urb.) cum Armenii Artaxiam apud Augustum accusarent et Tigranem, minorem eius fratrem (Ioseph. antiq. Iud. XV, 4 extr.), qui tum Romae erat, in regnum vocarent, Augustus Tiberium, tum privignum suum, misit, ante cuius adventum cum Artaxias per dolum propinquorum occisus esset, Tigranes cum pace regnum adiit. Breviter narrat Sueton. in Tib. c. 9 *ducto ad Orientem exercitu regnum Armeniae Tigrani restituit ac pro tribunali diadema imposuit.* Cf. Tacit. Annal. II, 3, et de nummis, quibus *Armenia capta* celebratur, Eckhel. Doctr. numm. Tom. VI p. 98. De Artavasde autem, Tigranis huius patre, infra plura dicentur ad VI, 1.

28. *eandem gentem — regendam tradidi.* Cum Tigranes ille, de quo modo dictum est, mortuus esset, Augustus anno 6 a. Chr. (748 urb.) Tiberium misit in Orientem, sed is ea provincia spreta Rhodum concesserat (Dio LV, 9). *Dein* per legatos *iussu Augusti impositus Artavasdes et non sine clade* Romanorum *deiectus,* ut refert Tacit. Annal. II, 4. Invasit igitur regnum alter Tigranes, quem auxilio Parthorum fretum bello depulit C. Caesar anno 2 p. Chr. (755 urb.) regnumque Ariobarzani tradidit. Vide Vellei. II, 102; Dio LV, 10. Ex recentioribus Hoeckius in historia imperii Romani Vol. I P. II p. 47 sqq. accurate et dilucide has res exposuit. Scripsi autem vs. 28 PER.GAIVM, ut est in exemplo Lucasiano; minus enim recte Chishullus tamquam ex Tournefortio ediderat PER.CAIVM. Cf. II, 44.

30. *et post eius mortem — misi.* Breviter hoc refert Tac. Annal. II, 4 *Ariobarzane morte fortuita absumpto stirpem eius haud toleravere.* Aliud nihil de Armeniorum rebus sub Augusto notum est.

31. *Provincias omnes, quae trans Hadrianum mare vergunt — possidentibus.* Non potuit haec Chishullus intelligere, quia vs. 33 supplebat *regibus eas possidentibus concessi,* quae nunc aliter explenda esse interpretatio Graeca docuit. Quamquam ne sic quidem existimare debuit, omnes provincias orientales ipsamque Graeciam ab Augusto concessas esse regibus. Nunc hoc intelligimus, dici bellum, quod Augustus contra M. Antonium gessit, quo bello omnes provinciae, quae ab Italia ad Orientem spectant, itemque Cyrenae imperio populi Romani redditae sunt. Earum

autem provinciarum magnam partem vel Cleopatrae ipsi vel liberis eius, quos reges appellarat, dono dederat Antonius, invidioseque hoc loco Augustus ita dicit, quasi etiam reliqua iisdem concessurus fuerit. Quae autem Antonius illis regibus donaverit, Plutarchus narrat in Anton. c. 54 *Πρῶτον μὲν ἀπέφηνε Κλεόπατραν βασίλισσαν Αἰγύπτου καὶ Κύπρου καὶ Λιβύης καὶ κοίλης Συρίας, συμβασιλεύοντος αὐτῇ Καισαρίωνος, — δεύτερον δὲ τοὺς ἐξ αὐτοῦ καὶ Κλεοπάτρας υἱοὺς βασιλεῖς βασιλέων ἀναγορεύσας Ἀλεξάνδρῳ μὲν Ἀρμενίαν ἀπένειμε καὶ Μηδείαν καὶ τὰ Πάρθων, ὅταν ὑπαγάγηται· Πτολεμαίῳ δὲ Φοινίκην καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν.* Similiterque Dio XLIX, 30 (*διεβλήθη Ἀντώνιος*) *ὅτι πολλὰ μὲν τῆς Ἀραβίας — πολλὰ δὲ καὶ τῆς Φοινίκης τῆς τε Παλαιστίνης, Κρήτης τέ τινα καὶ Κυρήνην τήν τε Κύπρον αὐτοῖς ἐχαρίσατο.* De Hadriano mari supra dictum est ad vs. 12 huius tabulae.

33. *et antea Siciliam et Sardiniam — reciperavi.* Siciliam recepit Augustus Sexto Pompeio victo anno 36 a. Chr., 718 urb. Sardiniam anno 40 a. Chr., 714 urb., cum duabus legionibus Menodorus, Pompeii dux, ceperat (Appian. bell. civ. V, 56; Dio XLVIII, 30), tuitusque est fortissime contra Augusti impetus (Appian. l. l. c. 66), recepit tandem Augustus eodem Menodoro sive Mena tradente (Dio Cass. XLVIII, 45; Appian. bell. civ. V, 80). Addi autem potuit *Corsica*, quae simul cum Sardinia eiusdem liberti opera reciperata est, non addita est, quia nulla peculiaris provincia erat. Cur *servile* hoc Sexti Pompeii bellum nominetur, supra ad vs. 1 huius tabulae dictum est.

35. *Colonias in Africa.* Non faciendum erat hoc loco, ut colonias omnes Augusti, quo quamque loco et quo tempore deduxisset, multis demonstrarem. Est enim ea quaestio et longa et plurimi laboris. Quam cum propter aliam causam olim susceperim, coloniarumque omnium Romanarum rationes expositas perscriptasque in scriniis meis habeam, non praetermittendum esse putavi, quin hoc loco nomina certe ipsa coloniarum, quas in quaque provincia Augustus deduxisset, ponerem itaque vere ab eo narrari demonstrarem. In *Africa* igitur Augustus deduxit Cirtam, Iuliam Constantiam Zilim, Babbam, Banasam Valentiam, Cartennam, Gunugi, Rusconias, Rusazum, Salden, Igilgili, Succabar, Siccam, Carthaginem, Maxullam, Uthinam, Tuburbim. In *Sicilia* Augusti coloniae sunt Catina, Syracusae, Thermae, Tyndaris, Tauromenium; in *Macedonia* Pella, Bullis, Dium, Cassandria, Philippi, Dyrrhachium, Apros; in *Hispaniis* Corduba, Asta regia, Asido, Astigi, Tucci, Urso, Illici, Barcino, Caesaraugusta, Libisona, Salaria, Clunia, Augusta Emerita, Metallinum, Pax Iulia, Norba; in *Achaia* Corinthus, Patrae, Dyme, Actium, Buthrotum, Epidaurus; in *Asia* Troas Alexandria, Parium, Apamea; in *Syria* Berytus; in *Gallia Narbonensi* Valentia, Vienna, colonia Equestris, Rauricum, Lugdunum; in *Pisidia* Caesarea sive Antiochia.

36. *Italia autem colonias — deductas habet.* Numerum harum coloniarum, in nullo Latino exemplo superstitem, olim Chishullus posuerat ex Sueton. in August. c. 46, confirmavitque eius supplementum Graeca interpretatio. Sunt autem hae: colonia Falisca, Lucus Feroniae, Rusellae, Sena, Suessa Aurunca, Venafrum, Sora,

Teanum Sidicinum, Fanum Fortunae, Hispellum, Tuder, Brixillum, Concordia, Pola, Ateste, Pisae, Asculum, Hadria, Luceria, Placentia, Luca, Aquileia, Venusia, Cremona, Augusta Praetoria, Augusta Taurinorum, Nola, Brixia. Quas colonias cur Augustus glorietur vivo se celeberrimas et frequentissimas fuisse, demonstrat C. G. Zumptius in scriptione academica, cui titulus est über den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum, anni 1841, p. 38.

39. *Signa militaria complura — a Dalmateis.* Sic nunc scribendum esse intellexit Franzius, cum ipse aliquando in Diurn. archaeolog. Berolinens. anni 1843 p. 21 edidisset *devictis gentibus,* quod et nimis recedit a Graecis et minus bonum est. Chishullus scripserat *per alios duces amissa devictis legionibus recepi ex Hispania et gentibus Delmateis,* quorum prior pars quomodo iam constituenda sit, aperte docet interpretatio Graeca; de altera dubitari possit, an scribendum sit *ex Hispania et Gallia et a gentibus Dalmateis* (sic enim, non Delmatas nominandos esse discimus ex Graeco interprete), ut haec paulo liberius reddita esse putemus Graece *καὶ παρὰ Δαλματῶν.* Nimirum Chishullus apud Tournefortium haec superesse tradit EX.HISPANIA.ET.GEN.......ATEIS. At Lucas habet EX.HISPANIA ET.S.....ATEIS, unde videmus omnem illum locum, quo alter S, alter GEN superesse dixit, evanidum fuisse, et Tournefortium de suo potius ingenio explesse litteras quam legisse. Neque recte omnino dicuntur *gentes Dalmatae* pro gentibus Dalmaticis aut libertatem talem Graecum interpretem sibi permisisse inveniemus. Quare cum in Latinis constet fuisse vs. 39 *devictis,* haud scio an apud Graecum interpretem fuerit *νικήσας τοὺς πολεμίους.* Ex rebus, quas Augustus h. l. narrat, duae novae sunt nec aliunde notae, de signis ex Hispania et Gallia receptis; de Dalmatis tradit Appianus et amissa esse signa a Gabinio anno 49 a. Chr., 705 urb., in Illyric. c. 12 et 25, et recepta ab Augusto anno 33 a. Chr., 721 urb., ibid. c. 28, suspensaque Romae in porticu Octavia. Cf. Dion. libr. XLIX, 43.

40. *Parthos trium exercituum Romanorum — reposui.* Cur tres exercitus dicat Augustus, Chishullus recte explicat. Primus exercitus erat M. Crassi, caesi anno 53 a. Chr. (701 urb.), alter et tertius Antonii; nam praeter Antonium ipsum etiam Statianus, legatus eius, cum duabus legionibus victus est, ut Dio XLIX, 25 et Vellei. II, 82 narrant. Nec tamen vituperandus est aut Suet. Aug. c. 21: *Parthi — signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt,* aut Vellei. II, 91 *ab rege Parthorum signa Romana, quae Crasso oppresso Orodes, quae Antonio pulso filius eius Phraates ceperant, Augusto remissa sunt*; nam illius exercitus, qui cum Statiano oppressus erat, signa Antonius ipse per Medorum regem receperat, ut Dio XLIX, 44 narrat. At Augustus h. l. non de signis modo, sed etiam de *spoliis,* i. e. maxime de captivis loquitur, quos ex Statiani exercitu reliquos Antonius non adeptus erat. M. Crassi quidem signa iam Antonius paciscendo a Parthis recipere voluerat, sed dolo deceptus cladem illam acceperat. Vide Dion. XLIX, 24 et cf. libr. LIII, 33. Augustus autem recepit omnia anno 20 a. Chr., 734 urb.,

cum ipse in Asia versaretur, et quidem a supplice Partho: sic enim genibus flexis signa offerens conspicitur in nummis apud Eckhel. Doctr. Numm. Tom. VI p. 94 sqq. Quae signa quo in templa suspensa esse videantur, dictum est supra ad Tab. IV, 21. Scripsi autem vs. 41 nec *remittere*, ut Gronovius volebat, nec *restituere*, ut Chishullus et Franzius scripserunt, sed, ne quid omnino a Graeco ἀποδοῦναι recederetur, *reddere*, quo quidem verbo etiam Suetonium eo quem supra attuli loco uti videam.

44. *Pannoniorum gentes — subiecti.* Non recte intelligere et explicare potuit haec Chishullus, qui obsequi nollet Gronovio recte ita, ut nunc scribendum esse docet interpretatio, dudum supplenti. Quare cum legeret *per Ti. Caesarem qui tum praeerat exercitibus*, et parum Latine loqui iussit Augustum et de eo bello dici putabat, quod inde ab anno 6 p. Chr., 759 urb., usque ad annum 9 p. Chr., 762 urb., gestum est; in quo Tiberius non privignus amplius, sed filius erat Augusti, adoptatus anno 4 p. Chr., 757 urb. Nunc videmus id bellum intelligendum esse, quod finitum est anno 9 a. Chr., 745 urb., ex quo Tiberius ovans rediit, et inde a quo omnino Romanorum imperium in Pannoniis numerari solet. Narrarunt autem id bellum imprimis Vellei. II, 96; Dio LV, 2, a quibus quae traduntur, nuper rectissime composuit Hoeck. in histor. imper. Roman. Vol. I Part. II p. 29.

47. *protulique fines Illyrici ad Istri fluminis ripam.* Sic etiam Chishullus, si exemplum Lucasianum sequeretur, restituere potuit; nunc scripsit PROTVLIQVE FINES [IMPERII . AD] I[STRI] FLVMINIS [RIPAM. Istrum autem ipso illo anno, quo Pannonia subacta est, terminum factum esse imperii Romani vel Noricae provinciae, hoc documento est, quod anno 6 p. Chr., 759 urb., ante Pannoniorum et Dalmatarum rebellionem Tiberius ad Istrum hiberna parasse narratur a Vellei. II, 110.

48. *cis quod Dacorum magnus exercitus — coëgit.* Rectissime haec secundum Graecam interpretationem, in qua unum modo διαβᾶσα extra contextum Latinum videtur esse additum, Franzius constituit, ne ab iis quidem, quae in exemplis Latinis superesse traduntur, magis recedens, quam quod vs. 48 pro eo quod est ...VCIVS ...scripsit D]VCTVS. De rebus iam anno 29 a. Chr., 725 urb., M. Crassus contra Dacos, qui M. Antonii partes amplexi erant, bellum gessisse narratur a Dion. Cass. LI, 22 et 23. Postea anno 10 a. Chr., 744 urb., Daci Istrum frigore concretum transgressi praedas egerant ex Pannonia (Dio LIV, 36), quos victos exercitus Romanus ultra Istrum videtur esse persecutus. Atque etiam in ingenti illa omnium Pannonicarum gentium rebellione Daci commemorantur a Dion. LV, 30.

50. *Ad me ex India regum legationes saepe missae sunt.* De duabus traditum est ab Dione libr. LIV, 9 καὶ οἱ Ἰνδοὶ προκηρυκευσάμενοι πρότερον φιλίαν, τότε (i. e. anno 20 a. Chr., 734 urb., cum Augustus Sami hibernaret) ἐσπείσαντο δῶρα πέμψαντες. Ea dona describit etiam Strabo libr. XV p. 719, qui in epistola Pori regis, qui legatos miserat, quid scriptum fuerit, addit. Priorem legationem missam esse anno 25 a. Chr., 729 urb., cum Augustus Tarracone versaretur, Chishullus colligit ex incerta eius auctoritate, qui librum de Augusti progenie scripsisse dicitur, ubi c. 35

haec sunt: *Indi ex ipso extremo oriente postremo ad te* (i. e. Augustum) *in extremo occidente tum bella gerentem legationem misere.* Breviter Sueton. c. 21 *Qua virtutis moderationisque fama Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam,* quem expresserunt Eutrop. VII, 10 et Orosius VI, 21. Sed probabile est plus quam bis legatos ex India missos esse, cum Augustus saepe missos esse narret. Insequenti versu, cum in exemplis Latinis superesse tradantur haec: APVD.QV....Q.............M, licere existimavi explere *apud quemquam Romanorum principem,* etsi Graece nihil est nisi παρὰ Ῥωμαίων ἡγεμόνι. Franzius in diurn. archaeolog. l. l. scripserat *apud principem Romanum,* ut supra est v. 44.

51. *Nostram amicitiam petierunt — Medorum reges.* In diurn. archaeolog. Berolin. anni 1843 p. 22 Franzius haec ita expleverat: *nostram amicitiam petierunt gentes per legatos Bastarnarum et Scytharum et Sarmatarum, qui cis Tanaim colunt* cet., in quibus quod *gentes* seiunctum est a nominibus populorum, ita me offendit in tanta huius monumenti simplicitate, ut sic scribi potuisse ab Augusto negem equidem. Nec in Graeca interpretatione est Βασταρνῶν καὶ Σκυθῶν ἔθνη, ut supra in hac tabula vs. 44 Παννονίων ἔθνη, sed simpliciter Βαστάρναι καὶ Σκύθαι. Quare aut Chishullum aut Tournefortium errasse existimo, quorum alteruter vs. 52 haec superesse tradit PER.LEGA....BASTARNARVM.....N....SAR....RVM, rectiusque ab Luca tradi haec PER.LEGA......B.CSTAR..N......E.ET.SAR.....RVM, in quibus *Bastarnarum* significatio nulla, at satis expressum illud, scriptum fuisse *Scythae.* Quare vs. 51 nihil equidem scripsi nisi *nostram amicitiam petierunt,* tum vs. 52 sic suppleo: PER . LEGA[TOS] BASTARN[AE . ET.SCYTHA]E . ET. SAR[MATA]RVM [CIS.TANAIM.FLVVIVM, in quibus nihil omnino a Graeca interpretatione disceditur. De legationibus autem horum populorum ad Augustum missis nihil praeter haec ipsa Augusti verba notum est; sed bella contra plerosque eorum gesta esse scimus. Exciverat enim omnes M. Antonius, ut auxilio sibi essent contra Augustum. Quare M. Crassus magnum contra Bastarnas et Scythas bellum per plures annos gessit inde ab anno 30 a. Chr., 724 urb., quo bello animi populorum videntur esse fracti. Vide Dion. libr. LI, 23 sqq. Sarmatae tum quidem non nominantur, sed anno 16 a. Chr., 738 urb., C. Lucius eos victos trans Istrum repulit (Dio LIV, 20) et rursus in communionem venerunt magnae illius Pannoniorum et Dalmatarum seditionis anno 6 p. Chr., 759 urb., (Dio LV, 30). Contra Albanos et Hiberos bellum ab Augusto gestum esse nescimus, sed victos anno 36 a. Chr., 718 urb., eodem tempore, quo bellum contra Parthos ab ipso Antonio infeliciter gestum est, Antonii societati adiunxerat P. Canidius (Dio XLIX, 24) eaque causa videtur fuisse, ut postea legatos ad Augustum mitterent veniae petendae causa, quam ille, qui in tam longinquis terris bellum gerere nollet, accepit. Nam quanti in iis regionibus Augusti nomen fuerit, aptissime Franzius laudato Strabone libr. VI. p. 288 demonstravit. Medorum denique eadem videtur causa fuisse. Refero autem ad omnes has gentes barbaras,

quod Sueton. in Aug. c. 21 narrat: *Tantumque abfuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi, ut quorumdam barbarorum principes in aede Martis Ultoris iurare coëgerit, mansuros se in fide ac pace, quam peterent.*

54. *Tiridates et postea Phrates.* Tiridatem Dio LI, 18 narrat pulsum a Phrate, anno 30 a. Chr., 724 urb., supplicem in Syriam venisse, secumque adduxisse Phratis filium, dolo surreptum (cf. Iustin. XLII, 5), quo anno 23 a. Chr., 731 urb., reddito Augustus signa et captivos a Parthis recepit. Vide Dion. LIII, 33. Phrates autem, Phratis filius, Orodis nepos, est ipse ille, quem Tiridates olim clam surreptum Augusto tradiderat, qui postea Parthis petentibus rex datus in regnum suum proficiscens obiit. Vide Dion. LVIII, 26; Tacit. Annal. VI, 32 et Lipsii excurs. ad Tacit. Annal. II, 2.

## TABVLA SEXTA.

1. *Medorum Artavasdes.* Sic supplevi, quia idem videtur esse, qui infra in hac tabula vs. 11 commemoratur, unde etiam reliqua in hoc versu sic scripsi *regis Ariobarzanis filius,* qua in re ab iis, quae in Lucasiano exemplo superesse traduntur ARTA......CA, ita discessi, ut unam modo litteram C in S mutarem. Ille Artavasdes antea aliquamdiu bellum gesserat cum M. Antonio (Dio XLIX, 25), tum non modo amicitiam (Dio XLIX, 33), sed atiam affinitatem cum eo iunxerat (Dio XLIX, 40). Qua fretus cum Parthis et Artaxi Armenio bellum intulisset, primum prospere re gesta tandem superatus et captus est (Dio XLIX, 44). Sed videtur tamen postea esse liberatus: confugit enim anno 30 a. Chr., 724 urb., ad Augustum ab eoque filiam suam recepit (Dio LI, 16). Hoc igitur est, quod h. l. Augustus gloriatur. Verum cum filiam reciperet Artavasdes, Ariobarzanem tamen filium Romam tamquam obsidem videtur misisse, qui deinde, ut infra vs. 11 est, petentibus Medis rex impositus est; nec quicquam aliud de ea re traditur. Atque is Ariobarzanes haud scio an idem sit, qui supra V, 29 commemoratus est, ut idem iuvenis duobus regnis et Mediae et Armeniae impositus sit; ideoque illo loco patrem eius *Artavasdem* nominandum esse putavi, non *Artabazum.* Quamquam enim proprie Artavasdes et Artabazus unum idemque nomen est (vide imprimis Reimar. ad Dion. Cass. XL, 16), hoc tamen discrimen intercedit, quod prius magis Latinum, alterum magis Graecum est: atque illo omnino Augustum in hoc rerum suarum indice usum esse certum est. Nam nusquam in Latino autographo, ut ita dicam, ea, quae supersunt, ostendunt Artabazum, at bis Artavasdem, V, 30 et VI, 11, quorum illo loco Graecus interpres habet item Artavasdem, altero Artabazum. Tertio loco, V, 29, ubi Graece est Artabazus, ut Latine fuisse Artavasdem existimem, hoc me movet, quod avus hominis, a quo appellatus est, Latine dicitur Artavasdes. Itaque cum appareat Graecum interpretem, in medio quasi inter suam et inter Latinam linguam positum, inconstantem fuisse, ne eandem inconstantiam ipsi Augusto temere tribuerem, ubique Artavasdem nominavi.

2. *Reges Britannorum* cet. Tres reges Britannorum dici recte statuit Franzius in diurn. archaeol. Berol. l. l., sed nomina parum certa sunt. Primus aut *Damno* fuit, ut est apud Chishullum, aut *Dumno*, ut Lucas habet (atque est in Gallis, quos cum parte Britannorum affines fuisse constat, notum nomen *Dumnorix*), aut denique *Domno*, ut Graecus interpres habet. Alter erat *Bellaunus* sive *Vellaunus* (et notum est oppidum Gallicum *Vellaunodunum*), cum Graeca interpretatio, ex qua servata est littera O, habuisse videatur Οὐελλαυνός. Tertii nominis pars ita periit, ut totum restitui nequeat. Ipsa etiam res, quando et qua re moti reguli illi ad Augustum confugerint, ignota est, quamquam imperium quoddam Augusti in Britannia fuisse constat. Cf. quae de ea re disputavit Schneidewinus in actis conventus philologorum Casselani anni 1843. Nec magis notus est Cimbrorum ille rex Maelo.

3. *Marcomanorum.* Ne horum quidem reges quando ab Augusto recepti sint, traditum est. Sed probabile videtur, cum Maroboduus regnum suum conderet, plures eius inimicos ad Romanos transfugisse. Memorabile autem est ipsum nomen regis Marcomanici *Suebo*, in quo adducor prope, ut *Suevorum* gentis nomen latere existimem, quam a Maroboduo regno suo adiunctam esse constat.

*ad me rex Parthorum Phrates.* Paulo aliter dicit Tacit. Annal. II, 1 *Nam Phraates quamquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat partemque prolis firmandae amicitiae miserat, haud perinde nostri metu quam fidei popularium diffisus.* Misit igitur liberos suos, ut ipse dicebat, amicitiae firmandae causa, ut res erat, ne quis ex iis seditionem excitaret, ut ipse aliquando patrem suum sustulerat. Vide interpretes ad Taciti locum, quem citavi. Narrat autem Strabo libr. XVI p. 748 missos esse Romam quattuor Phratis filios, Seraspadanem, Rodaspem, Phratem, Vononem, duasque eorum uxores et quattuor nepotes eosque publice regio sumptu ab Augusto ali. Cf. potissimum Strab. libr. VI p. 288. Vs. autem 5., quamquam Chishulli supplementa *per* (*haec*) *suorum pignora*, in quibus sententia bona est, reliqui, magnopere tamen dubito, an aliter scribendum sit. Nam Lucas haec modo superesse tradit PER..........IGNORA, Graecus autem interpres, hoc loco accurate Latini exempli vestigia premens, sic scribit: τὴν ἡμετέραν φιλίαν ἀξιῶν ἐπὶ τέκνων ἐνεχύροις, unde Latine sic restituendum esse arbitror *per* (*liberorum*) *pignora*.

6. *plurimaeque aliae gentes* sqq. Chishullus in hoc versu scripserat *expertae sunt Romanam fidem*, et insequenti *nullum omnino fuerat legationum — commercium*. Utrumque mutavit Franzius. Quae autem gentes dicantur, ignotum est.

9. *A me gentes Parthorum et Medorum* sqq. Rursus hoc loco, ut plurimis, cognoscas aut Chishullum male tradidisse de exemplo Tournefortiano, quod sequebatur, eique de suo ingenio alia immiscuisse, aut deceptum esse ipsum Tournefortium. Cum enim vs. 9 satis certus sit per se et nunc confirmetur interpretatione Graeca, vs. 10 sic apud illos exhibetur *regesque per eos acceperunt.* Quae sane parum convenire apparet. Quid enim gentes Parthorum et Medorum per principes

earum petierunt? Si reges petierunt, inutile sane est postea addi *per eos* acceptos esse reges. Nec sic habet Graecus interpres, sed modo *διὰ πρέσβεων τῶν παρ' αὐτοῖς πρώτων βασιλεῖς αἰτησάμενοι ἔλαβον.* Quare delendum est PER, quod ipsum abesse oportere demonstrat exemplum Lucasianum, in quo deest QVE, male corruptum in PER, eaque origo erroris aut Chishullo aut Tournefortio. Ita et Graecum exemplum prorsus convenit cum Latinis et sententia rectissima est. Sic enim coniungendum est: Parthi et Medi Vononem et Ariobarzanem per legatos petierunt ab Augusto (cum Romae tamquam obsides retinerentur) eosque, ut reges, tamquam reges, acceperunt. De rebus, quae hic narrantur, cf. quae supra dicta sunt ad vs. 1 et 3, et de Parthicis quidem imprimis Lipsii excursum ad Tacit. Annal. II, 2.

13. *In consulatu sexto et septimo — vs. 16 appellatus sum.* Sententia huius loci quae sit, ex Graeca interpretatione intelligimus, quae, sive *ὅλους ἐνφυλίους σβέσας πολέμους*, ut Franzius in diurn. archaeolog., sive, ut postea dedit, *τοὺς ἐνφυλίους σβέσας πολέμους*, legitur, nullam maiorem dubitationem relinqui patiatur; sed verba Latina nondum certa sunt. Non dico, quod vs. 13 Chishullus scripserat in addendis *postquam bellorum civilium odia exstinxeram,* ignorans nimirum, non dici hoc loco de hostibus reipublicae victis, quos Augustus consul III. et IV. superarat, sed de extinctis i. e. extirpatis non bellis modo civilibus ipsis, sed eorum etiam causis et seminibus: verum vs. 14 Chishullus scripserat *universorum (Romanorum civ)ium rempublicam,* et parum Latine (nam *Romanos cives* quis dicat?) et inepta sententia, quia non hoc vult Augustus, per consensum civium se potestatem summam ad senatum populumque Romanum transtulisse. Itaque rectius longe Franzius in diurn. archaeologicis Berolinensibus anni 1843 p. 24 *per consensum universorum (meorum civ)ium rempublicam mihi traditam,* in quibus tamen verborum collocatio me movet, ut aliter scribendum esse censeam. Neque enim Latine *per consensum universorum respublica mihi tradita* dici potest pro *republica per consensum mihi tradita* aut *per consensum mihi tradita republica.* Accedit, quod nec apud Chishullum nec apud Lucam lacunam notari video post *rempublicam,* sed id pro extremo huius versus vocabulo poni. Quare cum in Latinis exemplis superesse dicatur VNIVERSORVM............IVM.REMPVBLICAM, dubium esse non debet, quin aut lacuna inter IVM et inter REMPVBLICAM neglecta sit, aut male tradatur IVM pro TAM. Est enim scribendum *per consensum universorum civium mihi traditam rempublicam.* Sic etiam Graeca interpretatio fere conveniet, in qua hae duae modo res diversae sunt, primum quod est *τῶν ἐμῶν πολειτῶν*, tum quod *πάντων τῶν πραγμάτων*, cum Latine fuisse constet *universorum civium.* Tradita autem Augusto est respublica consensu universorum civium a. d. VII. Id. Ian. anni 27 a. Chr., 727 urb., cum recitata illa oratione, quam Dio libr. LIII, 3 habet, qua imperium se deponere velle dicebat, confirmatum id recepit a senatu et populo. Vide Dion. LIII, 12. Tum Idibus Ianuariis reddidit rempublicam senatui populoque, ita quidem, ut ipse imperium in decennium reciperet provinciarumque curam cum senatu partiretur. *Quo pro merito*

*suo* i. e. quod rempublicam legitimis potestatibus reddiderat, a. d. XVII. Kal. Febr. ex L. Munatii Planci sententia *Augustus* appellatus est. Vide de his rebus, ut unum ex multis laudem, Olaum Kellermannum in O. Iahnii specimine epigraphico p. 17. In verbis Latinis versu 16 constituendis a Graeco interprete non recedendum esse putavi; intellexi enim Graeca et Latina ita fere inter se convenire, ut in utrisque eadem ratione pariter aut activum aut passivum ponatur, ut infra vs. 25, ubi Latine activum fuisse constat, item fuit Graece. Itemque Franzius quod aliquando in diurn. archaeolog. scripserat *senatus me appellavit Augustum,* iam ipse passive potius dicendum esse statuit.

16. *et laureis postes aedium mearum sqq — conlegae mei.* Totus hic locus, qui est de honoribus Augusto eodem tempore, quo Augustus appellatus est, habitis, una tractandus et constituendus est. Quem cum Chishullus, ut non admirabile erat, vacuum fere reliquisset, primus Franzius in diurn. archaeolog. secundum interpretationem Graecam sic explevit: *et laureis* || *postes aedium mearum vinxit posita corona civica super eas adque ante* || *ianuam meam et qua est aditus in curiam Iuliam posthac a senatu ci* || *vibusque mihi per inscriptionem testis virtutis clemen* || *tiae iustitiae pietatis est positus clupeus aureus, quod* || *auctoritate unus omnium post hominum memoriam excel* || *lerem, potestatem autem nihilo ampliorem haberem quam conlegae mei.* His tamquam pro fundamento aliquo positis, ut par est posteriorem quemque plus videre quam priorem, ea, quae minus recta esse videbuntur, emendabimus, ita maxime, ut interpretationem Graecam, a qua Franzius nonnunquam discessit, quam potest fieri accuratissime sequamur; intelleximus enim supra saepius, eam esse accuratissimam nec discedere a Latinis nisi in levissimis nonnullis rebus. Quo in genere si cui videbimur nimium interdum eas litteras, quae in Latinis exemplis superesse dicuntur, negligere: nec saepius id factum esse censemus quam vel fecit Franzius vel facere potest quisquam, qui Latina restituere velit, et iure nostro Graeca videmur praeferre Latinis, quae, ubi continua oratio superest, necessario plurimum valent, ubi paucae et dispersae litterae traduntur, magna ea significatio est et evanidum fuisse totum locum et minus diligenter tradita oportere observari. Primum igitur dicamus de laurea ad postes aedium Augusti suspensa, de qua videndus imprimis Reimarus ad Dion. LIII, 86, qui omnia huc pertinentia collegit. Graece hoc dicitur: *δάφναις δημοσίᾳ τὰ πρόπυλά μου ἐστέφθη,* i. e. publice hoc factum esse, atque hoc *publice* necessario hoc loco addendum esse intelligo. Nam in hoc ipso honos Augusto est habitus, quod magistratibus mandatum est, ut postes eius lauro ornarent; siquidem privatim etiam alii, qui aut victoriam reportassent aut magistratum aliquem adepti essent, postes suas lauro ornare solebant, de qua consuetudine dixit Lips. ad Tacit. Annal. III, 3; soli principi publice ille honos habebatur. Quare cum Latine addendum sit *publice,* non potest id latere nisi in iis, quae vs. 17 superesse dicuntur ..... IVI.CASV..R......; nam CASV ibi Chishullus et Lucas superesse scripserunt, ut sententiam aliquam efficerent. Suppleo igitur vs. 17 sic: POSTES

AEDIVM.MEARVM.V[INCTAE.SVNT P]V[BLI]C[E. Sequitur de *corona civica* Augusto decreta, quam Franzius dicit positam fuisse *super lauros atque ante ianuam,* minus recte, ut mihi quidem videtur. Scimus enim eam positam fuisse superiore loco mediam inter duas laurus, non *ante* ianuam, sed *ad* ipsam ianuam. Vide Reimarum eo loco, quem paulo supra dixi. Quare reliqua, quae sunt vs. 17, sic lego SV[PE]R[QVE.EAS.AD ianuam. Erat autem ea corona ex querna fronde et cum ceteris dabatur, tum Augusto decreta est *ob servatos cives* vel *servatis civibus.* Atque sic in media ea scriptum fuisse intelligimus ex multis nummis Augusti apud Eckhel. Doctr. numm. Vol. VI p. 88 et 121. Idemque Augustum ipsum in hoc indice rerum suarum scripsisse significat interpretatio Graeca, in qua haec sunt ὅ τε δρύϊνος στέφανος ὁ διδόμενος ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολιτῶν. Quare cum in vs. 18 haec superesse dicantur: IANVAM.MEAM.ET.QVA..ST.....R.IN.VLIA (Lucas habet LVLIA.) POSI........, in quo Franzius putabat superesse vestigium curiae Iuliae, in eo equidem coronam civicam deprehendens sic lego: IANVAM.MEAM E[X.] Q[VERNA.FRONDE.CO]R[O]N[A.CI]V[IC]A.POSI[TA.OB.SERVATOS|| CIVE]S, in quibus paucae quidem litterae aut leviter mutatae aut abiectae sunt, sed totidem abiecerat Franzius. Tertius denique et extremus locus est de clupeo aureo Augusto posito, de quo consulenda est Borghesii, Itali doctissimi, epistola ad Gerhardum, in diurn. archaeolog. Berolinens. anni 1844 mensis Martii. Discernit Borghesius duos clupeos Augusto positos, alterum votivum, anno 16 a. Chr., 738 urb., *ob rempublicam conservatam* positum, qui in nummis est apud Eckhel. Doctr. numm. Vol. VI p. 103, alterum hunc, non votivum, ut falso existimatum est, sed in honorem Augusti in curia suspensum, qui et in nummis superest apud Eckhel. l. l. p. 95 et p. 121, et in altera inscriptione, quam affert. In hoc autem loco explendo quod Franzius Latine dixerat *curiam Iuliam,* ubi Graece simpliciter est βουλευτήριον, minus mihi probatur nec videtur a Graeco interprete recedendum esse: quippe, cum infra vs. 26 rursus sit βουλευτήριον, Latine constat fuisse nihil aliud nisi *curiam,* quo loco quia *forum Augustum* nominatur, magis etiam videtur faciendum fuisse, ut etiam curiae cognomen suum adderetur. Nec certe clupeus ille positus est, ubi aditus est in curiam i. e. in vestibulo eius, sed in curia ipsa: Domitiani quidem clupeos in ipsa curia fuisse Sueton. in Domit. c. 23 narrat; itemque Claudio Gothico *clupeum aureum senatus totius iudicio in Romana curia collocatum esse* narrat Trebell. Poll. in eius vita c. 3. Nec clupeus ille *a senatu civibusque* positus est, quasi senatores non sint cives, sed sic utique existimandum est, in ipso clupeo fuisse scriptum, eum a senatu populoque Romano Caesari Augusto positum esse testem virtutis clementiae cet., idque ita fuisse et interpretatio Graeca ostendit et inscriptio illa, quam Borghesius attulit. Denique illa, quae sunt apud Franzium inde a vs. 20 *quod auctoritate unus omnium post hominum memoriam excellerem,* et nimis gloriosa sunt parumque Augusti modestiae convenientia, et nimis recedunt a Graeco interprete, apud quem praeterea quod est ἀξίωμα, Latine non tam est *auctoritas* quam *dignitas.* Quae cum ita

sint, et iis, quae in Tournefortiano et in Lucasiano exemplo supersunt, diligentissime servatis et Graeca interpretatione, quantum linguae leges patiebantur, expressa hunc locum ita constitui, ut supra in contextu positum est. Differt autem Chishullus a Luca, cuius varians lectio a nobis enotata est, modo vs. 19, ubi habet sic .....VS. QVEM.......SC..R......M.ET.......VIRTVTIS.CLE..

24. *Tertium decimum consulatum me gerente* sqq. Totum hunc locum servavi, ut Franzius in diurn. archaeolog. l. l. constituerat, nisi quod ab initio propter interpretem Graecum, qui habet vs. 24 Τρισκαιδεκάτην ὑπατείαν ἄγοντός μου neglexi exempla Latina, in quibus superesse traduntur ..RTIVM.DE..MVM.CONSVLATVS. Ex his Franzius ingeniose effecerat *consulatu suscepto,* in quo tamen et Latinitas minus bene constat nec rerum ratio recta est. Nam Augustus non cum suscepisset consulatum, appellatus est pater patriae i. e. vel Kalend. Ianuar. vel omnino ineunte anno, sed cum gereret eum, Nonis Februar., tribuniciae potestatis XXI, consul XIII, ut scriptum est in kalendario Praenestino i. e. anno 2 a. Chr., 752 urb. Cf. Ovid. Fast. II, 121. Separatim autem ei nomen illud delatum esse a populo Romano et a senatu narrat Sueton. in Aug. c. 58; equester ordo nusquam nominatur. Denique in extremo hoc indice animadverte interpretem Graecum paululum discedere a Latinis, sed ita tamen, ut sententiam totam exprimat. Vs. 28 utrum *agerem* cum Chishullo, an *agebam* cum Franzio scribatur, perinde est.

29. *Summa pecuniae — fuit.* Rectissime Franzius, cum in diurn. archaeol. scripsisset *sestertium viciens quater milliens,* iam restituit *denarium sexiens milliens,* motus maxime exemplo Lucasiano, in quo ita prorsus est DENARIVM.S......; vel Chishullus vel Tournefortus plane aberrans habet NECESSARIVM........; nec insolitum esse etiam in hoc indice denariorum usum, qui in maioribus imprimis pecuniae summis aptus est, docet III, 16 et 20. Nec difficile est dicere, quomodo haec summa sexiens milliens denarium vel viciens et quater milliens HS effecta sit. Hos equidem numeros in tabula tertia huius indicis tradi video. In aerarium Augustus detulit HS milliens et quingentiens, in aerarium militare milliens et septingentiens, quae efficiunt ter milliens et ducentiens. Populo Romano dedit i. e. nunquam minus ducentis quinquaginta millibus hominum, ut dicit ipse III, 14, semel trecenos nummos, quae summa fit septingentiens quinquagiens, tum ter quadringenos nummos i. e. ter milliens; tum semel trecentis et viginti millibus hominum ducenos quadragenos nummos, i. e. septingentiens sexagiens octiens, rursus ducenos quadragenos nummos ducentis circiter hominum millibus i. e. quadringentiens octagiens. Ex his conficitur summa quater milliens nongentiens nonagiens octiens, quam populo Romano dedit. Denique militibus semel centum et viginti millibus singula millia nummum divisit, quae summa est milliens ducentiens, tum pro agris Italicis emptis solvit sex milliens, pro provincialibus bis milliens sescentiens, ut summa pecuniae, quam in milites impendit, fuerit noviens milliens octingentiens. Haec tria capita cum consummantur, summa fit septiens deciens milliens nongentiens nonagiens octiens, vel, ut ple-

niore numero dicamus, duodeviciens milliens. Relicta est in his ea pecunia, quam Augustus militibus emeritis inde ab anno 7 a. Chr., 747 urb., usque ad annum 2 a. Chr., 752 urb., solvit, cuius summa in exemplaribus Latinis tab. III, 32 periit. Eam summam nunc invenimus fuisse circiter sexiens milliens HS, itaque illo loco lacunam explevimus; tantum enim desideratur, ut cum iis summis, quas modo recensuimus, efficiatur haec, quam Augustus in aerarium vel populo Romano vel militibus veteranis dedisse dicitur. Atque illud sexiens milliens cave credas nimium esse; eadem vis pecuniae Antonio victo opus fuerat ad milites veteranos in agris collocandos.

31. *Opera fecit nova* sqq. Constituerat hunc locum secundum interpretationem Graecam primus Franzius in diurn. archaeolog. l. l., ita quidem, ut vs. 33 extremo scriberet *Porticum ad Circum* et vs. 35 cum pro naumachia nominasset porticus in Palatio, vs. 36 in voce *Caesarum* versum concluderet. Ea de causa partim recte, partim non recte vituperatus est a W. A. Beckero in Enchirid. antiq. Rom. Vol. I p. 721. Nam recte ille observavit, opera Augusti in hoc epilogo generatim enumerari i. e. primum templa, deinde loca ad usum publicum, denique loca ad voluptatem populi Romani facta nominari; itemque recte circum Flaminium nunquam simpliciter dici circum, non addito nomine: quare nec locum, quo porticus illa ad circum commemoretur, aptum esse, nec ipsum eius nomen rectum. Ita cum recte vs. 33 scribendum esse intellexerit *pulvinar ad circum,* de quo supra IV, 4 Augustus dixerat, minus recte vs. 35 et 36 sic constituit: *porticus in Palatio, nemus Caesarum, porticum ad circum Flaminium.* Peccat enim ipse in eam normam, quam constituerat: nec enim decet duas illas porticus ad circum Flaminium et in Palatio disiungi nec disiunxit interpres Graecus. Tum vs. 36 lacunam relinquit novamque quasi paragraphum incipit a vs. 37, quorum neutrum statuendum esse item interpretatio Graeca docet, quae et nova et refecta opera Augusti continenti oratione recenset. Quare, cum dubitationem, quam initio moverat exemplum Lucasianum, abiiciendam esse mihi persuasissem, primum ut vs. 36 explerem, iuxta *porticum ad circum Flaminium* ponendas esse putavi *porticus in Palatio,* et vs. 35 addendum aliquid, quod a Graeco exemplo abesset, nimirum *naumachiam circa* vel *trans Tiberim,* in cuius loco postea factum esse nemus Caesarum Augustus IV, 43 narravit, nec eam naumachiam, quod etiam per insequentes imperatores spectaculum proeliorum navalium futurum erat, minus recte inter opera Augusti recensebitur quam theatra. Quam quidem naumachiam cur Graecus interpres omiserit, hanc video esse causam, quod infra vs. 40 iterum *ναυμαχία* Graece dicendum erat, ubi Latine erat *proelium navale.* Atque omnino in hac clausula interpretatio Graeca nescio qua de causa minus accurata videtur fuisse; omittit enim prorsus *pulvinar ad Circum* et *Lupercal* atque *basilicam Iuliam* aliis locis ponit ac Latine videntur collocata fuisse. Haec autem opera Augusti nova quo quodque loco supra in tabula quarta ipse commemorarit, facile est ad inveniendum.

37. *Refecit Capitolium aedesque sacras* cet. Franzius quod aliquando scripserat *templaque deorum octoginta duo,* iam propter litteras in exemplis Latinis superstites rectius *aedesque sacras octoginta duas* scribi existimat, quae mutatio, ut est nulla sententiae, ita propter fidem tutior videtur esse. Verum muto etiam aliud. Nimirum vs. 38 quod habebat idem Franzius *aquam Marciam, viam Flaminiam,* parum videtur cum exemplo Lucasiano convenire. In quo cum sit: AQV......... AM..LA......, hoc Chishullus, quo facilius viam Marciam efficeret, de ingenio suo, non ex Tourneforti apographo ita videtur mutasse, ut esset AQV...MA...LA. Quare cum etiam Graecus interpres habeat ἀγωγοὶ ὑδάτων, scribendum existimavi *aquarum rivos* vel *aquarum ductus.* Cf. IV, 10. Atque omnino rectius fit, ut aquae Marciae amplificatio communi aquarum refectarum commemoratione comprehendatur, quam contra.

38. *Ingens est magnitudo impensarum.* In hac extrema huius monumenti parte rursus insigne cognoscas documentum, aut Tournefortum parum diligenter in lapide describendo versatum esse, aut Chishullum cum incredibili negligentia ea, quae apud Tournefortum invenisset, retulisse. Nimirum cum ex interpretatione Graeca satis certum sit, quae in exemplo Latino fuerint, fieri non potest, ut haec intra tres versus et dimidium prope quartum, qui apud Chishullum relinquuntur, coërceantur. Quam rem cum nihilo minus Franzius tentaret, accidit ei, ut prorsus a Graecis recederet. Sic enim scripsit in diurn. archaeolog. l. l. inde a vs. 38 *Ludos edidit complures suis impensis bestiarum venationes naumachiam munera gladiatorum.*|| *Donavit colonis Italiae et provinciarum oppidis terrae motu incendioque consumptis vel a*||*micis singulis senatoribusque, quorum census explevit, ingentem vim pecuniae,* quibus quantopere ne ea quidem, quae Augustus ipse supra narravit, contineantur, non opus est demonstrare. Spreto igitur Chishullo contuli me ad P. Lucam, quem saepius certiorem ducem expertus sum, apud quem vs. 39, in quo Chishullus, ut sententiam commodam efficeret, scripserat IMPENSIS., sic legitur: IMPENS..R.............GLADIATORVM.A........, tum lacuna unius versus notata sequuntur eadem, quae Chishullus habet, quae nos vs. 41 et 42 accurate omnia ita servavimus, ut vs. 42 in voce *explevit* auctore utroque apographo Latino totum monumentum finiremus. Iam quattuor versus et paulo amplius lucrati commode omnia, quae Graeca interpretatio habet, Latine reddere potuimus, quae quomodo distribuerimus, ex contextu nostro intelligitur. Res autem, quae in hac extrema monumenti huius clausula commemorantur, non omnes antea ipse Augustus in indice rerum suarum narrat. De ludis quidem, quos fecerit, vide IV, 31 — 49, ibidemque vs. 26 de coloniis municipiisque Italiae sublevatis, quibus aurum coronarium remisit. At de provinciarum oppidis, quae terrae motu incendioque consumpta essent, donatis nulla mentio est in iis, quae supersunt, nec scio, quo loco de ea re scriptum esse potuerit. Suetonius quidem in Aug. c. 47 commemorat: *alias* (provinciarum urbes) *aut aere alieno laborantes levavit aut terrae motu subversas denuo condidit.*

Neque magis Augustus in hoc indice aut scripsit aut honeste scribere potuit *de amicis senatoribusque, quorum census explerit, donatis.* At narrat Sueton. in Aug. c. 41 *Senatorum censum ampliavit ac pro octingentorum millium summa duodeciens sestertio taxavit supplevitque non habentibus*; saepiusque Dio Cassius, ut libr. LIII, 2: *βουλευταῖς τέ τισι χρήματα ἐχαρίσατο. οὕτω γὰρ δὴ πολλοὶ σφῶν πένητες ἐγεγόνεσαν, ὥστε μηδ' ἀγορανομῆσαί τινα διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἀναλωμάτων ἐθελῆσαι,* et libr. LIV, 17, anno 18 a. Chr., 736 urb., quo senatorum censum ampliavit: *καί τισι τῶν εὖ βιούντων (βουλευτῶν) ἐλάττω τότε μὲν τῶν δέκα, αὖθις δὲ τῶν πέντε καὶ εἴκοσι, κεκτημένων, ἐχαρίσατο ὅσον ἐνέδει.* Eandemque rem Tiberius in laudatione funebri Augusti praedicat apud Dion. Cass. libr. LVI, 41.

---

Addere placet hoc loco nonnulla de scribendi ratione, quae in hoc monumento nobilissimo invenitur, ita quidem, ut brevissime ea, quae a vulgari usu nunc recepto recedant, commemoremus; nam longiorem disputationem, quae facile de iis rebus institui potest, consulto defugimus. Ac primum quidem reiicienda est ea opinio, si quis in his eam scribendi rationem, qua Augustus ipse usus sit, invenire sibi videatur, qua in sententia cum Chishullum quidem non versari intelligam, Boxhornium olim fuisse video, qui eo usque progressus est, ut cum Sueton. Aug. c. 87 in litteris Augusti autographis haec a se notata esse dicat: *non dividit verba nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert, sed ibidem subiicit circumducitque,* eadem sibi visus sit in hoc indice rerum Augusti animadvertisse. Qua in opinione ille certe versatus non esset, si melioribus apographis monumenti Ancyrani usus esset, in quo equidem nunc nihil invenio, quod a reliquis titulis Latinis, diligenter quidem scriptis, differat. Versuum spatia in Latinis titulis nunquam prorsus aequalia sunt, ut idem in quoque versu sit litterarum numerus, nec sunt in hoc monumento, in quo tamen singularem aliquam eiusmodi inaequalitatem nequaquam animadverti. Atque ita fieri oportebat; nam etiamsi haec Augustus sua ipse manu scripserat, tamen qui in tabulis aheneis ante Mausoleum eius collocandis insculpsit, stultus fuisset, si illud Augusti vitium imitatus esset. Hac sola re hic titulus differt ab iis, qui minus diligenter scripti sunt, quod ubi versus spatium non sufficit ad totum verbum capiendum, non in quavis littera desinitur, a quavis incipitur, sed syllabarum ratio utique servatur. Idemque in titulis illis Pisanis, C. et L. Caesari positis, quae cenotaphia Pisana appellantur, observatur. Interpunctio autem in hoc monumento nulla est, nisi quod, ubi caput aliquod absolutum est, huius generis punctum (>) poni solet. Ut vide I, 21; II, 5 et 11 et 26; III, 6 et 14 et 19 cet.

Rectius orthographiam Augusti aliquis ex hoc monumento cognosci posse existimet, quod nolim equidem credi. Primum enim dubium est, utrum Augustus ipse sua manu haec scripserit an liberto dictarit: nam Sueton. in Aug. c. 101 narrat

testamentum et duos codices, quos reliquit, in quibus hic rerum gestarum index fuit, scriptum fuisse partim ipsius, partim Polybii et Hilarionis, libertorum eius, manu. Deinde si totum hunc indicem Augustus ipse scripsit, sculptor Romanus ea, quae in orthographia a vulgari usu recederent, non magis videtur recepisse, quam apud nos errores orthographici, quos optimi saepe scriptores parum curare solent, ab iis, qui libros typis describunt, recipiuntur. Quare sic mihi persuadeo, eam in hoc monumento inveniri orthographiam, quae vulgaris fuerit Romae Augusti temporibus; nam Ancyranum exemplar diligenter de Romano descriptum videri potest. De qua orthographia certius paulo iudicari posset, si et recentiorum exempla diligentius confecta et lapis ipse ita conservatus esset, ut quid ubique scriptum esset, dignosci posset: sic necessario in multis rebus aliquantum dubii relinquitur.

Quamquam in nonnullis rebus perpetua invenitur constantia. Primum enim genitivum singularem vocabulorum in *ius* et *ium* desinentium, nunquam per duplex *i* scribi invenimus, sed ubique per simplex, ut *Iuli* (IV, 2 et 24; VI, 32), *Feretri* (IV, 15), *proeli* (IV, 43), *auri coronari* (IV, 26). Deinde magna est in numeralibus scribendis constantia. Nam ubique scribitur non modo *mille* (IV, 44), sed etiam pluralis *millia*, contra ac plerumque praecipitur, et *milliens* (I, 17 et 18; II, 4 et 5, 7, 8, 11). Tum adverbia numeralia semper desinunt in *ens*, nunquam in *es*, ut *viciens* (I, 22), *ter deciens* (I, 30), *quadragiens* (II, 4 et 6 et 11), *milliens*, *quinquiens* (IV, 31), *quotiens* (IV, 28), ordinalia nunquam in *esimus*, sed in *ensimus*, ut *quadragensimus* (II, 3, ubi solus Busbequius *quadragesimus* habet), *septuagensimum* (VI, 28), *duodevicinsimum* vel *duodevicensimum* (III, 15). Tum constanter scribitur *sescenti* et *sescentiens* (I, 20 et III, 25), ita ut praecipiunt grammatici, *quattuor* (II, 16) et *quater* (IV, 35); sed *vigiens* an *viciens* legendum sit, dubium est IV, 36 et 41, quo loco nos Lucam, qui *viciens* exhibet, sequendum esse putavimus.

Ut in his satis constantia sunt ipsa illa, mendosa alioquin, Chishulli et Lucae exempla, ita, ubi magna in iis est inconstantia, significatio ea erit, usum vulgarem temporibus Augusti incertum modo hoc modo illud praetulisse. Atque in *assimilatione* quidem, quae dicitur, *praepositionum* cum verbis vel aliis vocabulis compositarum ea est inconstantia, ut ipsae praepositiones modo mutentur, modo non mutentur, at nulla eiusmodi, ut idem verbum compositum alio loco aliter legatur. Ita semper est *appellare* (I, 22; III, 5; IV, 3 et 11 et 28), quamquam est *adsignavi* (III, 23); semper est *impensa* (I, 2 et 4; IV, 9), quamquam est *inlato* (V, 14) et *inmisso* (IV, 12, quod ex P. Luca praeferendum esse puto, cum Chishullus habeat *immisso*). Tum est *comparavi* (I, 5) et *complures* (IV, 10 et V, 39) et *commercium* (VI, 8) et *collationibus* (III, 24) et denique *collegium* (IV, 37), at constantissime scribitur *conlega* (II, 2 et 9; VI, 23).

Vere autem inconstans et in hoc monumento et, ut existimo, temporibus Augusti, usus est in his. Accusativus et nominativus tertiae declinationis modo *es*, modo *is* est. Nam cum in omnibus exemplis sit I, 12 *inferentis* (accus.) et III, 2

*agentis* (accus.), contra IV, 11 est *labentes* et I, 16 videtur esse *degentes* (utroque loco accus.); cum IV, 46 sit *pluris* (nom.) et I, 23 *pluris* (accus.), contra V, 6 est *plures* (nominat.); cum II, 27 sit *aedis* (accus.), IV, 5 et 6 est *aedes*, item accusat. Tum V, 32 est *omnis* (accus.) et I, 11, ut videtur, *omneis*; I, 22 *curulis*. Contra certa sunt *naves* (I, 20 accus. et IV, 46 nominat.) et *triremes* (I, 21 nom.) et *gentes* (IV, 10 et VI, 6 et 9 nominat., IV, 44 et 49 accusat.) et *fines* (IV, 10 et 46 accusat.) et *postes* (VI, 17 nominat.), itemque I, 21 malui scribere *minores*, quod apud Busbequium est, quam *minoris*, ut P. Lucas et Chishullus habent. In quibus fieri non posse puto, ut regula aliqua certa et norma detegatur. Eademque fere inconstantia est in cenotaphiis Pisanis, in quibus cum sit II, 7 *Apriles* (accus.) et *equestres* (II, 39 nom.), tamen legitur *finis* (II, 9 accus.)

Similis prope ratio invenitur in dativis et ablativis pluralibus vocabulorum in *ium* et *ia* desinentium. Nam cum III, 3 Lucas et Chish. habeant *consilis* (Busbeq. *consiliis*), et III, 23 *municipis*, et III, 31 *stipendis*, et IV, 27 *colonis*, idemque fuisse videatur III, 17 et 19, denique I, 27 *dis* (in cenotaphiis autem Pisanis est I, 19 *diis*); Chishull. I, 26 habet *auspiciis*, II, 35 *provinciis*, quo utroque loco Lucas simplex *i* exhibet; at certum est III, 27 *provinciis* et IV, 27 *municipiis* et, ut videtur, IV, 29, et ubique in omnibus exemplis est *manibiis* (III, 8 et 17 et IV, 24). Affine autem est, quod III, 31 omnia exempla habent *emeriteis* et V, 40 *Dalmateis*; nam IV, 52, ubi Chish. habet *quadrigeis*, apud Lucam est *quadrigis*. At rursus constans est simplex *i* in perfecto *adit* (V, 16 et 45), constanterque in plurali *alii* duplex *i* servatur.

In singulorum vocabulorum scriptione haec, quae notabilia essent, inveni: *beneficium* (II, 15), *nunquam* (II, 25; V, 44), *exstinxeram* (VI, 13), *consacrare* (II, 28; IV, 25), *heres* (IV, 2), *incohare* (IV, 15), *reciperare* (V, 34), *petierunt* (V, 18), *eandem* et *consumptam* (IV, 14), *clupeus* (VI, 20), *aliquod post annos* (II, 23), *adque* pro vulgari *atque* (IV, 30), *quotienscumque* (IV, 28). *Tribunicius* II, 20 scribitur per *c*, et VI, 8 *commercium*, at *patritius* II, 1 est apud Lucam et Chishull., cum Busbeq. *patricius* habeat; neque III, 1 utrum *causa*, quod Chish., an *caussa*, quod Lucas habet, rectius sit, discerni potest, neque IV, 33, utrum Lucas rectius *undeque*, an Chish. *undique* exhibeat: sed mendose apud illum V, 3 videtur esse *suplicium*, cum certum sit *supplex* V, 41 et 54. De nominibus propriis haec, quae in omnibus exemplis eadem ratione scripta inveniuntur, observo: *Irtio* p. *Hirtio* I, 9, *Messalinus* III, 29; *Aruntius* III, 36; *Semnones* V, 17; *Phrates* VI, 1 et 4; *Marcomani* VI, 3. Denique VI, 40 scribendum esse *Dalmateis*, non *Delmateis*, et V, 28 *Gaium*, non *Caium*, neque III, 28 ferendos esse ablativos *Neroni* et *Pisoni*, suis quidque locis demonstratum est. Extremo loco commemoro, eam quae una in hoc monumento invenitur nota, COS. (III, 29 et IV, 37) pro *consulibus*, ut V, 7 et alibi est, consentire cum iis, quae dudum eo in genere viri docti praeceperunt.

# TABULA VII.

## *A.*

Α Π Λ Ι Ο Υ . Θ Ε Ο Υ Σ Ε

Α Ν Η Κ Ω Ι Τ Ι Β Ε Ρ Ι Ω Ι Κ Α Ι Σ Α Ρ Ι

| Col. I. | Col. II. |
|---|---|
| ΟΙΣΚΑΙΤΡΙΤΟΑΠΝΥΚΛΩΙΦΛΒΙΩΙΜΑΞΙΜΩΙ | ΘΕΝΙΣΤΟΡΗΣΕΝΕΠΙΡΩΜΗΣ |
| ΝΚΛΗΤΟΥΚΑΙΤΟΥΔΗΜΟΥΤΟΥΡΩΜΑΙ | ΟΥΑΛΓΙΩΙΥΠΑΤΟΙΣ |
| ΤΗΣΤΩΝΤΕΝΟΜΩΝΙΑΠΩΝΤΡΟ | ΒΩΜΟΝΤΥΧΗΣΣΩΤΗΡ |
| ΧΕΙΡΟΤΟΝΗΘΩΝΑΡΧΗΝΟΥΔΕ | ΚΑΠΗΝΝΠΥΛΗΣΥΝΚ |
| ΕΝΗΝΑΝΕΔΕΞΑΜ.ΗΝΑΛΕΤΟΤΕ | ΤΑΣΙΕΡΕΙΑΣΑΝΙ . . ΤΟΚ |
| ΣΘΑΙΕΡ | Ν . . . . . . . . . Σ |

---

Β Α Σ Τ Ο Υ Σ Κ Α Ι Τ Ο Υ Σ

Θ Ε Ο Ι Σ

| Col. III. | Col. IV. |
|---|---|
| ΕΓΟΝΕΝΑΙΠΟΠΛΙΩΣΟΥΛΠΙΚΙΩΚΑΙΓΑΙΩΙ | ΣΕΙΤΟΜΕΤΡΟΥΜΕΜΩΔΗΜΩΕΔΩΚΛ |
| . . . ΠΕΡΤΗΣΕΜΗΣΕΠΑΝΟΛΟΥΠΡΟΣ | ΕΙΚΟΣΙΜΥΡΙΑΔΩΝΥΠΗΡΧΕΝ |
| . . . ΙΕΡΩΣΕΝΠΡΟΣΩΤΟΥΣΙΕΡΕ | ΧΡΗΜΑΤΑΑΕΝΥΠΑΤΕΙΑΤΕΤΑΡΤΗΣΜΗΚΑ |
| . . . ΟΙΕΙΝΕΚΕΛΕΥΣΕΝΕΝΕΝΕΚ | . ΩΚΡΑΣΕΩΚΑΙΝΑΙΩΛΕΝΤΑΩΑΚΤΟΥ |
| . . . . . . . . ΚΩ . . . . . . | . . . ΠΕΡΑΤΡΩΝΟΥΣΕΝΕΡΙΣΑΤΟΙΣ . . Υ . . Α |
| | . . . ΘΕΝ . . . Λ . . . ΕΝΜΥΡΕ |

---

Α Ι Λ Α Σ Α Υ Τ Ο Ν

Β Α Σ Τ Ω Ι

| Col. V. | Col. VI. |
|---|---|
| ΕΤΟΣΑΡΙΘΜΟΣΠΛΕΙΩΙ | ΕΝΙΔΙΩΤΙΚΩΕΔΑΦΕΙΑΡΕΩΣΑΜΥΝΤΟΡΟΣΑΓΟΡΑΝΤΕΣΕΒΑΣΤΗΝΕΙ |
| | ΝΣΑΘΕΑΤΡΟΝΠΡΟΣΤΩΙΑΠΟΛΛΩΝΟΣΝΑΙΩΙΕΠΙΕΔΑΛΦ . . ΥΣΕΚΤ |
| ΜΕΤΑΤΑΥΤΑΥΠΑΤΟΙΣΜΑΡ | ΡΟΥΣΑΓΟΡΑΣΘΕΝΤΟΣΑΝΝΤΕΡΑΕΠΙΟΝΟΜΑΤΙΜΑΡΚΕΛΛΟΥΤΟΥΓΑ |
| ΤΑΙΣΠΟΛΕΣΙΝΗΡΙΘΜΗΣΑ | ΑΝΑΘΕΜΑΤΑΕΚΛΑΦΥΡΩΝΕΝΚΑΠΙΤΩΛΙΩΙΚΑ . . . ΩΙΟΥΛΙΩΙΚΑΙΓΑΩΑ |
| ΤΑΙΣΚΕΦΑΛΑΙΟΥΕΓΟΝΕΝ | ΚΑΙΕΣΤΙΑΣΚΛ . . Α . . ΦΕΙΕΡΩΣΑΛΕΜΟΙ . . . . ΕΤΝΕΝΕ . . . . ΚΟ |
| ΕΥΕΛ . . . ΙΑΔΕΣ | ΩΝΠΕΝΤΑ . . . ΧΡΥΣΟΥΝΣΤΕΦΑ |

## *B.*

Κ Α Ι Ι Δ Ι Ο Υ Σ Θ Ε Ο Υ Σ Σ Ε

Τ Ι Β Ε Ρ Ι Ω Ι Κ Α Ι Σ Α Ρ Ι

ΘΕΝΙΣΤΟΡΗΣΕΝΕΠΙΡΩΜΗΣΓΕΓΟΝΕΝ . ΠΟΠΛΙΩΣΟΥΛΠΙΚΙΩΚΑΙΓΑΙΩ

ΟΥΑΛΓΑΙΩΙΥΠΑΤΟΙΣ

ΒΩΜΟΝΤΥΧΗΣΣΩΤΗΡ . . . ΥΠΕΡΤΗΣΕΜΗΣΕΠΑΝΟΔΟΥΠΡΟΣ

ΝΑΙΤΗΝΠΥΛΗΗΣΥΝΚ . . . . . . ΙΕΡΩΣ

Β Α Σ Τ Ο Υ Σ Κ Α Ι Τ Ο Υ Σ

Θ Ε Ω Ι Σ Ε Β

ΣΕΙΤΟΜΕΤΡΟΥΜΕΝΕΔΗΜΩΕΔΩΚ .

ΕΙΚΟΣΙΜΥΡΙΑΔΩΝΥΠΗΡΧΕΝ

ΗΜΑΤΑΑΕΝΥΠΑΤΕΙΑΤΕΤΑΡΤΗΕΜΗΚΑ

ΙΩΚΡΑΣΣΩΚΑΙ . ΑΙΩΛΕΝΤΑΩΑΥΤΟΥ

## *C.*

- - - - - - - - - Κ Α Ι Ι Δ Ι Ο Υ Σ Θ Ε Ο Υ Σ Σ Ε Β Α Σ Τ Ο Υ Σ Κ Α Ι Τ Ο Υ Σ [Π] Α Ι [Δ] Α Σ Α Υ Τ [Ω] Ν [Ο Δ Η Μ Ο Σ Ο Α Π Ο Λ Λ Ω Ν Ι Α Τ Ω Ν

Α Ν Η Κ Ω Ι Τ Ι Β Ε Ρ Ι Ω Ι Κ Α Ι Σ Α Ρ Ι [Θ Ε Ο Υ Σ Ε Β Α Σ Τ Ο Υ Υ Ι Ω Ι] Θ Ε Ω Ι Σ Ε Β Α Σ Τ Ω Ι

| Col. I. | Col. II. | Col. III. | Col. IV. | Col. V. | Col. VI. et VII. |
|---|---|---|---|---|---|
| | - - - - - - - - - - - ΥΠΑΤ]ΟΙΣΚΑΙΤΡΙΤΟ[Ν]Π[Λ]Υ[Λ]ΛΩΙΦ[Λ]ΒΙΩΙΜΑΞΙΜΩΙ | ΘΕΝΙΣΤΟΡΗΣΕΝΕΠΙΡΩΜΗΣΓΕΓΟΝΕΝΑΙΠΟΠΛΙΩΣΟΥΛΠΙΚΙΩΚΑΙΓΑΙΩΙ | ΣΕΙΤΟΜΕΤΡΟΥΜΕΝΩΔΗΜΩΕΔΩΚ[ΑΤΟΥΤΟΥΟΓΕΝΟΜ]Ε[Ν]ΟΣΑΡΙΘΜΟΣΠΛΕΙΩ[Ν | ΕΝΙΔΙΩΤΙΚΩΕΔΑΦΕΙΑΡΕΩΣΑΜΥΝΤΟΡΟΣ[ΝΑΟΝ]ΑΓΟΡΑΝΤΕΣΕΒΑΣΤΗΝΕ[ΠΟΙ | |
| | - - - - - - - - - - - ΤΗΣΣΥ]ΝΚΛΗΤΟΥΚΑΙΤΟΥΔΗΜΟΥΤΟΥΡΩΜΑΙ[ΩΝ | ΟΥΑΛΓΙΩΙΥΠΑΤΟΙΣ | ΕΙΚΟΣΙΜΥΡΙΑΔΩΝΥΠΗΡΧΕΝ | Η]ΣΑΘΕΑΤΡΟΝΠΡΟΣΤΩΙΑΠΟΛΛΩΝΟΣΝΑΩΙΕΠΙΕΔΑΦ[Ο]ΥΣΕΚ[ΠΟΛΛΟΥΜΕ | |
| | - - - - - - - - - - - - - ΤΗΣΤΩΝΤΕΝΟΜΩΝ[Κ]Λ[ΙΤ]ΩΝΤΡΟ - - - | ΒΩΜΟΝΤΥΧΗΣΣΩΤΗΡ[ΑΣ] ΥΠΕΡ ΤΗΣΕΜΗΣΕΠΑΝΟΔΟΥΠΡΟΣ[ΤΗΙ | ΧΡΗΜΑΤΑΑΕΝΥΠΑΤΕΙΑΤΕΤΑΡΤΗΕΜΗΚΑ[Ι]ΜΕΤΑΤΑΥΤΑΥΠΑΤΟΙΣΜΑΡ | ΡΟΥΣΑΓΟΡΑΣΘΕΝΤΟΣΑΝ[ΕΣ]Τ[ΗΣ]ΑΕΠΙΟΝΟΜΑΤΙΜΑΡΚΕΛΛΟΥΤΟΥΓΑ[ΜΒΡΟΥΝΟΥ | |
| | - - - - - - - - - - - - - Ε]ΧΕΙΡΟΤΟΝΗΘ[Η]ΝΑΡΧΗΝΟΥΔΕ - - - - | ΚΑΠΗΝΗΠΥΛΗΗΣΥΝΚ[ΛΗΤΟΣΚΑΘ]ΙΕΡΩΣΕΝΠΡΟΣΩΤΟΥΣΙΕΡΕ[ΑΣΚΑΙ | Κ]ΩΚΡΑΣΣΩΚΑΙ[Γ]ΝΑΙΩΛΕΝΤ[Λ]ΩΑΥ[Τ]ΟΥ[ΡΙ]ΤΑΙΣΠΟΛΕΣΙΝΗΡΙΘΜΗΣΑ | ΑΝΑΘΕΜΑΤΑΕΚΛΑΦΥΡΩΝΕΝΚΑΠΙΤΩΛΙΩΙΚΑ[ΙΕΝΝΑ]ΩΙΟΥΛΙ[ΟΥ]ΚΑΙ[Ν]ΛΩΛ[ΠΟΛΛΩΝΟΣ | |
| | - - - - - - - - - - - - - - - ΕΝΗΝΑΝΕΔΕΞΑΜΗΝΑ[Δ]ΕΤΟΤΕ - - - | ΤΑΣΙΕΡΕΙΑΣΑΝΙ - - ΤΟΚ - - - - [Π]ΟΙΕΙΝΕΚΕΛΕΥΣΕΝΕΝΕΚ[Α - - - | Υ]ΠΕΡΑ[Γ]ΡΩΝΟΥΣΕ[Μ]ΕΡΙΣΑΤΟΙΣ[ΣΤΡ]Α[ΤΙΩ]ΤΑΙΣΚΕΦΑΛΑΙΟ[ΝΓ]ΕΓΟΝΕΝ | ΚΑΙΕΣΤΙΑΣΚ[ΑΙ]Λ[ΡΕΩΣΑΜΥΝΤΟΡΟΣΑ]ΦΕΙΕΡΩΣΑ[Λ]ΕΜΟΙ[ΚΑΤΕΣΤΗΩΣΔΙΣΧΙΛΙ | |
| | - - - - - - - - - - - - - ΣΘΑΙΕΡ - - - - - - - - - - - - - - | Ν - - - - Σ - - - - - - - - - - - - ΚΩ - - - - - - - | ΩΣΜΥΡΙΑΙΗ]ΕΝ[ΤΑΚΙΣΧΙΛΙΑΙ]ΜΥΡ[ΙΑΔΕΣΑΕΚΣΥΝΤΕΛΕΙΑΣΥΠΕΡΤΩΝ | ΩΝΠΕΝΤΑ[ΚΟΣΙΩΝΜΥΡΙΑΔΩΝ]ΧΡΥΣΟΥΣΤΕΦΑ[ΝΙΚΟΥ - - - - - - - - - | |
| | - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - | - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - | ΧΩΡΙΩΝΗΡΙΘΜΗΣΑΚΑΙΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑΙΕΞΑΚΙΣΧΙ]Λ[ΙΑΙΜΥΡ]ΙΑΔΕΣ[ΑΥΠΕΡ | | |
| | | | ΤΩΝΕΠΑΡΧΙΚΩΝΑΓΡΩΝ] - - - - - - - - - - - - - - - - - - - - | | |

# INTERPRETATIONIS GRAECAE RELIQUIAE.

De usu titulorum bilinguium in provinciis imperii Romani non est cur verba faciamus. Vide Elem. epigr. Graec. p. 7 sq.

Indici rerum Augusti Ancyrae interpretationem Graecam additam fuisse ut consentaneum est, ita pridem fragmentis duobus patuit a Pocockio (Inscr. antiq. c. 11. s. 1. p. 6. 7.) ibi repertis, quae etiam postea vidisse Rostanus Massiliensis videtur, qui epistola a. 1806 ad Ste-Croix data haec habet: „*J'ai égaré les fragmens de l'inscription Grecque que j'avois copiés; mais j'en ai peu de regret, d'abord parcequ'ils étoient très-incorrects et ensuite parceque cette inscription a été de nouveau dégradée depuis le voyage de Pococke*" (Hist. de l'Acad. des Inscr. cet. T. XLVII. p. 93.). Sed Pocockiana partem constituunt eorum fragmentorum, quae nuper G. I. Hamiltonus deiecto muro aedium, quae muro exteriori cellae templi adstructae erant, luci reddidit (Research. in Asia min. 1843. T. II. n. 102. cf. T. I. p. 420 sq.). Continentur his fragmentis exemplaris Latini tabulae IV. V. VI. Haec igitur fragmenta Ancyrana vocavimus. Reliqua quae supersunt, Arundello (Discov. in As. minor. 1834. Vol. II. p. 426. cf. Vol. I. p. 241. 242.) debemus, qui repperit Apolloniae (hodie Oluburlu) in Pisidia; sed etiam horum fragmentorum particulam a se transcriptam edidit G. I. Hamiltonus l. c. n. 455. Haec fragmenta Apolloniensia quum ad priorem partem exemplaris Latini tab. I. II. III. IV. referantur, visum est priore loco, Ancyrana secundo exponere. Interpretatio Graeca an eadem fuerit Ancyrae et Apolloniae, incertum.

## I.
## FRAGMENTA APOLLONIENSIA.

(Corp. inscr. Graec. Vol. III. n. 3971.)

Apographum Arundelli hoc est:

(vid. Tabula VII. *A.*)

Apographum Hamiltoni:

(vid. Tabula VII. *B.*)

Sunt fragmenta tria data ab Arundello forma et consecutione, quam stare non posse iam Leakius (ad Arundell. T. I. p. 241) vidit, qui monuit col. III. vs. 1. continuari col. II. vs. 2 unde rectissime effecit *γεγονέναι Ποπλίῳ Σουλπικίῳ καὶ Γαΐῳ Οὐαλγίῳ ὑπάτοις.* Itaque nos quum a. 1839. similiter composuissemus col. IV. et V. ubi *Μάρ[κ]ῳ Κράσ[σ]ῳ καὶ [Γ]ναίῳ Λέντ[λ]ῳ Αὔγουρι*, et restituissemus etiam cetera, quae possunt restitui, animadvertimus his fragmentis indicem rerum Augusti contineri. Rem partim comprobavit fragmentum ab Hamiltono reportatum. Ut paucis defungar, fuerunt columnae septem, quibus universus index Graece redditus continebatur. Prima columna cum dimidia parte secundae interiit; item sexta et septima. Ceterarum superest principium, ex eoque fere versus seni. Hoc quo planius fieret, addidimus tabulam quantum superest inscriptionis una cum supplementis continentem.

(vid. Tabula VII. *C.*)

Praescripta maioribus litteris exarata duobus versibus constant supra columnas scripturae superstitis porrectis. Brevior tamen est priore versus posterior. Ex quibus colligas Apolloniatas statuis honorasse domum Augustam, quumque universa inscriptio ex epistylio esse videatur, templum, in quo repositae erant statuae illae, Tiberio tum imperanti consecrasse, addito in memoriam divi patris indice rerum ab eo gestarum. Quod tamen qua occasione apud Apolloniatas factum sit, non liquet. Itaque videndum ne scriptum fuerit:

*Τὸν ναὸν - - - -] καὶ ἰδίους θεοὺς Σεβαστοὺς καὶ τοὺς [π]αῖ[δ]ας αὐτ[ῶ]ν [ὁ δῆμος ὁ Ἀπολλωνιατῶν*

*- - - Τιβερίῳ Καίσαρι, [θεοῦ Σεβαστοῦ υἱῷ,] θεῷ Σεβαστῷ.*

Vs. 2. ante ΤΙΒΕΡΙΩΙ ap. Arundell. legitur ΛΝΗΚΩΙ, quibus litteris quid subsit, non perspicio. Non improbabile, quod nuper coniecit Keilius (Annal. crit. Berol. 1845. n. 19. p. 147.) subesse [ΘΕΑΙΡΩΜΗΙ]ΚΑΙ, nisi quod desideratur h. l. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. Ceterum Tiberium ante obitum in provinciis *θεὸν* dici notum est ex inscriptionibus. Vide Corp. inscr. Graec. Vol. II. n. 2442. coll. Add. p. 1081.

Col. II. - - - - - *ὑπάτ]οις καὶ τρίτο[ν] Π[α]ύ[λ]λῳ Φ[α]βίῳ Μαξίμῳ [καὶ Αἰλίῳ Τουβερῶνι ὑπάτοις - - τῆς συ]νκλήτου καὶ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαί[ων*

*- - - - - - - - τῆς τῶν τε νόμων [κ]α[ὶ τ]ῶν τρο - - -*

- - - - - - - - ἐ]χειροτονήθ[η]ν ἀρχὴν οὐδε - - - -
- - - - - - - μ]ένην ἀνεδεξάμην· ἃ [δ]ὲ τότε - - -
- - - - - - - - σθαι ἐρ - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - -

Continebantur ea, quae in exemplari Latino sub finem tab. I. dicta sunt; quae quum interciderint, restitui verba Graeca non possunt. Paulus Fabius Maximus et Aelius Tubero Consules fuerunt a. u. 743.

Col. III. *θεν ἱστόρησεν ἐπὶ Ῥώμης γεγονέναι Ποπλίῳ Σουλπικίῳ καὶ Γαΐῳ Οὐαλγίῳ ὑπάτας.*

*Βωμὸν Τύχης Σωτήρ[ας] ὑπὲρ τῆς ἐμῆς ἐπανόδου πρὸς [τῇ Καπηνῇ πύλῃ ἡ σύνκ[λητος καθ]ιέρωσεν, πρὸς ᾧ τοὺς ἱερ[έας καὶ τὰς ἱερείας ἀν[ὰ πᾶν ἔ]το[ς ἱερὰ π]οιεῖν ἐκέλευσεν ἕνεκ[α*

- - - - - - - - -

- - - - - - - - -

Haec respondent exemplaris Latini tab. II. vss. 25 - 29., quae aliqua ex parte restitui ex fragmento Graeco possunt. Exempli Graeci in fine col. II. haec fere fuerint: *ἀποδιδούσης πάσης τῆς Ἰταλίας κατὰ συνήθειαν εὐχὰς ὅσας οὐπώποτ᾽ ἔμπροσ-* quae aliter tentata sunt Corp. inscr. Gr. l. c. Designationem Consulum ad ea quae praecedunt pertinere manifestum est, ex quo Hamiltonus docuit verba ΥΠΕΡΤΗΣΕΜΗΣΕΠΑΝΟΔΟΥΠΡΟΣ non esse in vs. 2. posita, sed in vs. 3. Itaque vs. 2. post ΥΠΑΤΟΙΣ vacuum spatium relictum est, ut col. IV. vs. 2. Interpres Graecus omisit verba *prope aedis Honoris et Virtutis*. Τύχη Σώτηρα i. e. Σώτειρα est *Fortuna Salutaris*.

Col. IV. *σειτομετρουμένῳ δήμῳ ἔδωκ[α· τούτου ὁ γενόμ]ε[ν]ος ἀριθμὸς πλείω[ν εἴκοσι μυριάδων ὑπῆρχεν.*

*Χρήματα ἃ ἐν ὑπατείᾳ τετάρτῃ ἐμῇ κα[ὶ] μετὰ ταῦτα ὑπάτοις Μάρκ]ῳ Κράσσῳ καὶ [Γ]ναίῳ Λέντ[λ]ῳ Αὔ[γ]ου[ρι] ταῖς πόλεσιν ἠρίθμησα ὑ]πὲρ ἀ[γ]ρῶν, οὓς ἐ[μ]έρισα τοῖς [στρ]α[τιώ]ταις, κεφάλαιο[ν γ]έγονεν ὡς μύριαι π]εν[τακισχίλιαι] μυρ[ιάδες, ἃ ἐκ συντελείας ὑπὲρ τῶν χωρίων ἠρίθμησα, καὶ πεντακόσιαι ἑξακισχί]λ[ιαι μυρ]ιάδες, [ἃ ὑπὲρ τῶν ἐπαρχικῶν ἀγρῶν.]* - - - - - - - - - - - -

Haec respondent exemplaris Latini tab. III. vs. 19 - 26. Versionis Graecae col. III. in fine haec fere fuerunt: *ὑπατεύων τὸ ιγ̄ δραχμὰς ἀνὰ ἑξήκοντα τῷ τότε* — Notabis vs. 6. in dextra non continuari, sed videri praetermissam esse alteram partem ab Arundello. Nam litterae ibi superstites manifesto

versus 7. finem constituunt. *Δραχμαὶ* sunt denarii, quibus etiam in sequentibus fit computatio (conf. Boeckh. Disquisitt. metrolog. p. 298 sqq.)

Col. V. *Ἐν ἰδιωτικῷ ἐδάφει Ἄρεως Ἀμύντορος [ναὸν] ἀγοράν τε Σεβαστὴν ἐ[ποί-*
*η]σα· θέατρον πρὸς τῷ Ἀπόλλωνος ναῷ ἐπὶ ἐδάφ[ο]υς ἐκ [πολλοῦ μέ-*
*ρους ἀγορασθέντος ἀν[έσ]τ[ησ]α ἐπὶ ὀνόματι Μαρκέλλου τοῦ γα[μβροῦ μου.*
*Ἀναθέματα ἐκ λαφύρων ἐν Καπιτωλίῳ κα[ὶ ἐν να]ῷ Ἰουλί[ου] καὶ [ἐν να]ῷ Ἀ[πόλλωνος*
*καὶ Ἑστίας κ[αὶ] Ἄ[ρεως Ἀμύντορος ἀ]φιέρωσα, [ἃ] ἐμοὶ [κατέστη ὡς δισχιλί-*
*ων πεντα[κοσίων μυριάδων]. Χρυσοῦ στεφα[νικοῦ - - - - - -*

Verba sunt exemplaris Latini tab. IV. vss. 21-26. Coniecimus olim vocem *ναὸν* versionis Graecae col. IV. in fine fuisse. Sed in Latino exemplari nova periodus incipit, quod observatum esse ab interprete probabile fit etiam ex col. IV. Vide tamen fragm. Ancyr. col. I. init. Vs. 5. scripsi *κατέστη*; possis etiam *κατέστησαν*. Verbum hoc proprium est in hac re; conf. Andocid. de reditu suo 81. *οὐκ ἠθέλησα πράξασθαι πλέον ἢ ὅσου ἐμοὶ κατέστησαν.* Computatio denariis fit i. e. *δραχμαῖς*, ut col. IV.

## II.

## FRAGMENTA ANCYRANA.

**(Corp. inscr. Graec. Vol. III. n. 4040.)**

Pocockius Inscr. antiq. cap. 11. s. 1. p. 6. 7. rettulit haec:

Σ Σ
ΠΡΟΣΕΘΗΚΑ
ΤΟΥΒΑΣΙΛΕ
ΑΛΛΟΝΕΒΙΟΥ
ΛΕΙΑΝΤΙΓΡΑ
ΑΝΟΥΒΑΣΙΛ
ΌΣΤΟΤΕΜΟΥ
ΑΜΕΝΩΝΚΑΙ
ΑΙΟΥΤΟΥΥΙΟΥ
ΟΣΜΗΑΟ ΑΡΤΑ
ΝΑ

Τ ΗΛΑΙΣ
ΑΠΕΛΑΒΟΝ¯ΕΞΙΣΠΑΝΙΑΣΚΑΙΓΑΛΑΤΙΑΣΚαι
ΔΑΛΜΑΤΩΝΠΑΡΘΟΥΣΤΡΙΩΝΣΤΡΑΤΕΥΜΑτ
ωΝΣΚΥΛΑΚΑΙΣΗΜΕΑΣΑΠΟΔΟΥΝΑΙΕΜΟΙ
ΛΙΑΝΔΗΜΟΥΡΩΜΑΙΩΝΑΞΙΩΣΑΙΗΝΑΓΡ
ΔΕΤΑΣΣΗΜΕΑΣΕΝΤΩΙΑΡΕΩΣΤΟΥΑΜΥΝτοροσα
ΔΥΤΕΩΙΑΠΕΘΕΜΑΝ
ΠΑΝΝΟΝΙΩΝΕΘΝΗΟΙΣΠΡΟΕΜΟΥΗΓΕΜΟ
νΙΑΡΩΜΑΙΩΝΟΥΚΗΝΤΙΣΕΝΗΣΣΗΘΕΝΤΑ
ΝΕΡΩΝΟΣΤΟΤΕΜΟΥΗΝΠΡΟΓΟΝΟΣΚαι
ΗΓΕΜΟΝΙΑΔΕΜΟΥΡΩΜΑΙΩΝΥΠΕΤΑΞΑ
ΚΟΥΘΡΙΑΜΕΧΡΙΙΣΤΡοΥΠοΤΑΜοΥΠΡΟ
ΤΗΔΕΔΑΚΩΝΔΙΑΒΑΣΑΠΟΛΛΗΔΥΝΑΜΙΣΕΝ
ΝΟΙΣΚΑΤΕΚΟΠΗΚΑΙΥΣΤΕΡΟΝΜΕΤΑΧΟ..στρα
ΤΕΥΜΑΠΕΡΑΝΙΣΤΡΟΥΤΑΔΑΚΩ
ΔΗΜΩΝΡΩΜΑΙΩΝΥΠΟΜΕΝΕΙΝ

# TABULA VIII.

## Col. I.

Ε Λ Ι Π Ε Ν Ε Π

ΕΞΕΩΣΕΔΩΚΑ . . . . . . . . . . . . . . . .
ΤΟΠΛΗΣΙΟΝΑΥΤΩΙΧΑΛΚΙΔΙΚΟΝ . . . . .
ΩΝΟΣΕΝΠΑΛΑΤΙΩΙΣΥΝΣΤΟΛΙΣ . . . . .
ΟΥΠΑΝΟΣΙΕΡΟΝΣΤΟΑΝΠΡΟΣΙΠ . . . .
ΟΣΑΓΟΡΕΥΟΝΙΕΝΩΙΦΛΑΜΙΝΙΩΙΗΝ . . . .
. . . . . . ΟΝΟΜΑΤΟΣΕΚΤΙΝΟΥΟΚΤΑ . . .
. . . . . . . . . . . . ΠΡΟΣΤΩΙ

## Col. II.

Ν Ε Π Ι . Ω . Η Σ

ΓΑΦΗΣΟΝΟΜΑΤΟΣΤΩΝΕΜΩΝ . ΙΩΝ .
ΚΑΙΕΙΜΗΑΥΤΟΣΤΕΤΕΛΕΙΩ . . . . .
ΤΩΝΕΜΩΝΚΛΗΡΟΝΟΜΩΝ . . . . . .
ΗΚΟΝΤΑΝΑΟΥΣΕΝΤΗΝΟ . . . . .
ΤΙΣ . ΝΚΛΗΤΟΥΕΠΕΣΚΕΥ . . .

## Col. III.

Ε Ν Κ Ε Χ Α Ρ Α

ΩΝΑΣΟΜΟΡΑ
ΤΗΙΗΜΕΤΕΡΑΙ
ΓΑΛΛΤΙΑΣΚΑΙΙΣ
ΧΑΘΩΣΩΚΕ
ΣΤΟΜΑΤΟΣ
ΑΛΠΗΣΑΠΟ
ΤΟΥΜΕΧΡΙΤΥΡ
ΚΑΟΥΔΕΜΙ
ΣΤΟΛΟΥ
ΝΟΥΩΣΠΡΟΣ
ΛΕΥΣΕΝΟΥΟΥ
ΑΙΩΝΤΙΕΠΡΟ
ΒΡΟΙΚΑΙΧΑ . .
ΓΕRΜΑΝΩΝ
ΔΗΜΟΥΡΩ
ΝΟΙΣΑΙΣΙ
ΑΡΑΒΙΑ
ΠΟ
ΑΞΕΙΚΑΙ
ΚΑΙΠΡΟ

## Col. IV.

Χ Α Λ Κ Α Ι Σ Σ

ΑΙΓΥΠΤΟΝΔΗΜΟΥ . ΩΜΑΙΩΝΗΓΕΜΟΝΙΑΙΠΡΟΣΕΘΗΚΑ
ΑΡΜΕΝΙΑΝΤΗΝΜΕΙΖΟΝΑΑΝΑΙΡΕΘΕΝΤΟΣΤΟΥΒΑΣΙΛΕ
ΩΣΔΥΝΑΜΕΝΟΣΕΠΑΡΧΓΙΑΝΠΟΙΗΣΑΙΜΑΛΛΟΝΕΒΟΥ
ΛΗΘΗΝΚΑΤΑΤΑΠΑΤΙΙΑΗΜΩΝΕΘΗΒΑΣΙΛΕΙΑΝΤΙΓΡΑ
ΝΗΙΑΡΤ . . . ΑΣΔΟΥΥΙΩΙΥΙΩΝΩΙΔΕΤΙΓΡΑΝΟΥΒΑΣΙ
ΛΕΩΣΔ . . . ΔΙΑΤΙΒΕRΙΟΥ . . . ΕΡΩ . . . ΝΟΣΟΣΤΟΤΕΜΟΥ
ΠΡΟΓΟΝΟΣΗΝΚΑΙΤΟΑΥΤΟ␣ΝΟΣΑΦΙΣΤΑΜΕΝΟΝΚΑΙ
ΑΝΑΠΟΛΕΜΟΥΝΔΑΜΑΣΘΕΝΥΠΟΓΑΙΟΥΤΟΥΥΙΟΥ
ΜΟΥΒΑΣΙΛΕΙΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΕΙΒΑΣΙΛΕΩΣΜΗΔΩΝΑΡΤΑ
ΒΑΖΟΥΥΙΩΙΠΑΡΕΔΩΚΑΚΑΙΜΕΤΑΤΟΝΕΚΕΙΝΟΥΘΑΝΑ
ΤΟΝΤΩΙΥΙΩΙΑΥΤΟΥΑΡΤΑΟΥΑΖΔΗΟΥΑΝΑΙΡΕΘΕΝΤΟΣ
ΤΙΓΡΑΝΗΝΟΣΗΝΕΚΓΕΝΟΥΣΑΡΜΕΝΙΟΥΒΑΣΙΛΙΚΟΥΕΙΣ
ΤΗΝΒΑΣΙΛΕΙΑΝΕΠΕΜΨΑ ΕΠΑΡΧΕΙΑΣΑΠΑΣΑΣΟΣΑΙ
ΠΕΡΑΝΤΟΥΕΙΟΝΙΟΥΚΟΛΠΟΥΔΙΑΤΕΙΝΟΥΣΙΠΡΟΣΑΝΑ
ΤΟΛΑΣΚΑΙΚΥΡΗΝΗΝΕΚΜΕΙΣΖΟΝΟΣΜΕΡΟΥΣΥΠΟΒΑΣΙ
ΛΕΩΝΚΑΤΕΣΧΗΜΕΝΑΣΚΑΙΕΜΠΡΟΣΘΕΝΣΙΚΕΛΙΑΝΚΑΙΣΑΡ
ΔΩΙΠΡΟΚΑΤΕΙΛΗΜΕΝΑΣΠΟΛΕΜΩΙΔΟΥΛΙΚΩΙΑΝΕΛΑΒΟΝ
ΑΠΟΙΚΙΑΣΕΝΛΙΒΥΗΙΣΙΚΕΛΙΑΙΜΑΚΕΔΩΝΙΑΙΕΝΕΚΑΤΕ
ΡΑΤΕΙΣΠΑΝΙΑΙΑΧΑΙΑΙΑΣΙΑΙΣΥΡΙΑΓΑΛΑΤΙΑΙΤΗΙΠΕ
ΡΙΝΑΡΒΩΝΑΠΙΣΙΔΙΑΙΣΤΡΑΤΙΩΤΙΩΝΚΑΤΗΓΑΓΟΝΙΤΑ
ΛΙΑΔΕΕΙΚΟΣΙΟΚΤΩΑΠΟΙΚΙΑΣΕΧΕΙΥΠΕΜΟΥΚΑΤΑΧΘΕΙ
ΣΑΣΑΙΕΜΟΥΠΕΡΙΟΝΤΟΣΤΙΑΗΟΥ . . ΑΙΕΤΥΝΧΑΝΟΝ
ΣΗΜΕΑΣΣΤΡΑΤΙΩΤΙΚΑΣ . . . . . . . . . ΟΑΛΛΩΝΗΓΕΜΟ
ΝΩΝΑΠΟΒΕΒΛΗΜΕΝ . . . . . . . . . . ΣΠΟΛΕΜΟΥΣ

## Col. V.

Τ Η Λ Α Ι Σ Δ

ΑΠΕΛΑΒΟΝ ΕΞΙΣΠΑΝΙΑΣΚΑΙΓΑΛΑΤΙΑΣΚΑΙΠΑΡΑ
ΔΑΛΜΑΤΩΝΠΑΡΘΟΥΣΤΡΙΩΝΣΤΡΑΤΕΥΜΑΤΩΝΡΩΜΑΙ
ΩΝΣΚΥΛΑΚΑΙΣΗΜΕΑΣΑΠΟΔΟΥΝΑΙΕΜΟΙΙΚΕΤΑΣΤΕΦΙ
ΛΙΑΝΔΗΜΟΥΡΩΜΑΙΩΝΑΞΙΩΣΑΙΗΝΑΓΚΑΣΑΤΑΥΤΑΣ
ΔΕΤΑΣΣΗΜΕΙΑΣΕΝΤΩΙΑΡΕΩΣΤΟΥΑΜΥΝΤΟΡΟΣΝΑΟΥΑ
ΔΥΤΩΙΑΠΕΘΕΜΗΝ
ΠΑΝΝΟΝΙΩΝΕΘΝΗΟΙΣΠΡΟΕΜΟΥΗΓΕΜΟΝΟΣΣΤΡΑΤΕΥ
ΜΑΡΩΜΑΙΩΝΟΥΚΗΓΓΙΣΕΝΗΣΣΗΘΕΝΤΑΥΠΟΤΙΒΕΡΙΟΥ
ΝΕΡΩΝΟΣΟΣΤΟΤΕΜΟΥΗΝΠΡΟΓΟΝΟΣΚΑΙΠΡΕΣΒΕΥΤΗΣ
ΗΓΕΜΟΝΙΑΙΔΗΜΟΥΡΩΜΑΙΩΝΥΠΕΤΑΞΑΤΑΤΕΙΛΛΥΡΙ
ΚΟΥΟΡΙΑΜΕΧΡΙΙΣΤΡΟΥΠΟΤΑΜΟΥΠΡΟΗΓΑΓΟΝΟΥΕΠΕΙ
ΤΑΔΕΔΑΚΩΝΔΙΑΒΑΣΑΠΟΛΛΗΔΥΝΑΜΙΣΕΜΟΙΣ . . . ΣΟΙΩ
ΝΟΙΣΚΑΤΕΚΟΠΗΚΑΙΥΣΤΕΡΟΝΜΕΤΑΧΘΕΝΤΟΕΜΟΝΣΤΡΑ
ΤΕΥΜΑΠΕΡΑΝΙΣΤΡΟΥΤΑΔΑΚΩΝΕΘΝΗΠΡΟΣΤΑΓΜΑΤΑ
ΔΗΜΟΥΡΩΜΑΙΩΝΥΠΟΜΕΝΕΙΝΗΝΑΓΚΑΣΕΝ
ΠΡΟΣΕΜΕΕΞΙΝΔΙΑΣΒΑΣΙΛΕΩΝΠΡΕΣΒΕΙΑΙΠΟΛΛΑΚΙΣΑΠΕ
ΣΑΤΛΗΣΑΝΟΥΔΕΠΟΤΕΠΡΟΤΟΥΤΟΥΧΡΟΝΟΥΟΦΘΕΙΣΑΙΠΑΡΑ
ΡΩΜΑΙΩΝΗΓΕΜΟΝΙΤΗΝΗΜΕΤΕΡΑΝΦΙΛΙΑΝΗΞΙΩΣΑΝ
ΔΙΑΠΡΕΣΒΕΩΝΒΑΣΤΑΡΝΑΙΚΑΙΣΚΥΘΑΙΚΑΙΣΑΡΜΑ
ΤΩΝΟΙΕΠΙΤΑΔΕΟΝΤΕΣΤΟΥΤΑΝΑΙΔΟΣΠΟΤΑΜΟΥΚΑΙ
ΟΙΠΕΡΑΝΔΕΒΑΣΙΛΕΙΣΚΑΙΑΛΒΑΝΩΝΔΕΚΑΙΙΒΗΡΩΝΚΑΙ
ΜΗΔΩΝΒΑΣΙΛΕΕΣ
ΠΡΟΣΕΜΕΙΚΕΤΑΙΚΑΤΕΦΥΓΟΝΒΑΣΙΛΕΙΣΠΑΡΘΩΝΜΕΝ
ΤΕΙΡΙΔΑΤΗΣΚΑΙΜΕΤΕΠΕΙΤΑΦΡΑΑΤΗΣΒΑΣΙΛΕΩΣ

## Col. VI.

Υ Σ Ι . . . . .

ΦΡΑ . . . . . . . . . . . ΕΑΡΤΑ . . . . . . . . ΗΣΑΔ . . .
ΧΩΝ . . . . . . . . ΝΩΝΔΟΜΙ . . Ο . ΛΛΑΥΝΟΣ . .
ΚΑΙΤ . . . . . . . . . ΒΡΟΝ . . ΑΙΛΩΝΜΑΡΚΟ . . .
ΜΑ . . . . . . . . . . . . . . . . . ΣΕΜΕΡΑΣ . . ΕΙΣ . .
ΠΑΡΘΩΝΦΡΑ . . . . . ΥΙΟ . . . . ΟΥΣ . . . . Ω . .
ΝΟΥΣΤΕΠΑΝΤΑΣΕΠΕΜΨ/ . ΕΙΣΙΤΑ/ΙΑΝΟ . . ΛΕΜΩΙ
. ΚΗΘΕΙΣΑΛΛΑΤΗΝΗΜ . . ΕΡΑΝΦΙΛΙΑΝΑΞΙΩΝΕΠΙΤΕ
ΚΝΩΝΕΝΕΧΥΡΟΙΣΠΛΕΙΣΤΑΤΕΑΛΛΑΕΘΝΗΠΕΙΡΑΝΕ . .
ΒΕΝΔΗΜΟΥΡΩΜΑΙΩΝΠΙΣΤΕΩΣΕΠΕΜΟΥΗΓΕΜΟΝ . Σ
ΟΙΣΤΟΠΡΙΝΟΥΔΕΜΙΑΗΝΠΡΟΣΔΗΜΟΝΡΩΜΑΙΩΝΠΡΕΣ
ΒΕΙΩΝΚΑΙΦΙΛΙΑΣΚΟΙΝΩΝΙΑ
ΠΑΡΕΜΟΥΕΘΝΗΠΑΡΘΩΝΚΑΙΜΗΔΩΝΔΙΑΠΡΕΣΒΕΩΝ . . . Ν
ΠΑΡΑΥΤΟΙΣΠΡΩΤΩΝΒΑΣΙΛΕΙΣΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΙΕΛΑΒC.
ΠΑΡΘΟΙΟΥΟΝΩΝΗΝΒΑΣΙΛΕΩΣΦΡΑΤΟΥΥΙΟΝΒΑΣΙΛ . .
ΩΡΩΔΟΥΥΙΩΝΟΝΜΗΔΟΙΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΗΝΒ . . . ΕΩ .
ΑΡΤΑΒΑΖΟΥΥΙΟΝΒΑΣΙΛΕΩΣΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝ . . . . ΝΟΝ
ΕΝΥΠΑΤΕΙΑΙΕΚΤΗΙΚΑΙΕ . ΔΩΜΗΙΜ . . . ΜΟΥΣΕΝΦΥ
ΜΟΥΣΖΒΕΣ . . . . . . ΟΥΣ . . ΤΑΤΑΣΕΥΧΑΣΤΩΝΕ
ΜΩΝΠΟΛΕΜΩΝΕΝΚ . . . ΗΣΓΕΝΟΜΕΝΟΣΠΑΝΤΩΝΤΩΝ
ΠΡΑΓΜΑΤΩΝΕΚΤΗΣΕΜΗΣ . . ΟΥΣΙΑΣΕΙΣΤΗΝΤΗΣΣΥΝ
ΚΛΗΤΟΥΚΑΙΤΟΥΔΗΜΟΥΤΩΝΡΩΜΑΙΩΝΜΕΤΗΝΕΓΚΑ
ΚΥΡΙΗΑΝ . . . ΗΣΑΙΤΙΑΣΔΟΓΜΑΤΙΣΥΝΚΛΗΤΟΥΣΕΒΑΣΤΟΣ
ΠΡΟ . . . . . . . . ΝΚΑΙΔΑΦΝΑΙΣΔΗΜΟΣΙΑΙΤΑΠΡΟΠΥ
. . . . . . . . . . . ΟΤΕΔΡΥΙΝΟΣΣΤΕΦΑΝΟΣΟΔΙΔΟΜΕΝΟΣ

## Col. VII.

ΕΠΙΣΩΤΗΡΙΑΤΩΝΠΟΛΕΙΤΩΝΥΠΕΡ/ . . . ΟΤΟΥΠΥΛΩ
ΝΟΣΤΗΣΕΜΗΣΟΙΚΙΑΣΑΝΕΤΕΘΗ ΟΙ . . ΟΝΤΕΧΡΥ
ΣΟΥΝΕΝΤΩΙΒΟ . . ΕΥΤΗΡΙΩΙΑΝΑΤΕ . . . ΝΥΠΟΤΕΤΗΣ
ΣΥΝΚΛΗΤΟΥΚΑΙΤΟΥΔΗΜΟΥΤΩΝΡΩ . . . ΩΝΔΙΑΤΗΣ
ΕΠΙΓΡΑΦΗΣΑΡΕΤΗΝΚΑΙΕΠΕΙΚΕΙΑΝΚΑΙ . . . ΚΑΙΟΣΥΝΗΝ
ΚΑΙΕΥΣΕΒΕΙΑΝΕΜΩΙΜΑΡΤΥΡΕΙ . . ΑΞΙΩΝΤΙΠΑΝΤΩΝ
ΔΙΗΝΕ . ΚΑΙΕΞΟΥΣΙΑΣΔΕΟΥΔΕΝΤΙΠΛΕΙΟΝΕΣΧΟΝ
ΤΩΝΣΥΝΑΡΞΑΝΤΩΝΜΟΙ
ΤΡΙΣΚΑΙΔΕΚΑΤΗΝΥΠΑΤΕΙΑΝΑΓΟΝΤΟΣΜΟΥΗΤΕΣΥΝ
ΚΛΗΤΟΣΚΑΙΤΟΙΠΠΙΚΟΝΤΑΓΜΑΟΤΕΣΥΝΠΑΣΔΗΜΟΣΙΩΝ
ΡΩΜΑΙΩΝΠΡΟΣΗΓΟΡΕΥΣΕΜΕΠΑΤΕΡΑΠΑΤΡΙΔΟΣΚΑΙΤΟΥΤΟ
ΕΠΙΤΟΥΠΡΟΠΥΛΟΥΤΗΣΟΙΚΙΑΣΜΟΥΚΑΙΕΝΤΩΙΒΟΥΛΕΥΤΗ
ΡΙΩΙΚΑΙΕΝΤΗΙΑΓΟΡΑΙΤΗΙΣΕΒΑΣΤΗΙΥΠΟΤΩΙΑΡΜΑΤΙ . ΜΟ .
ΔΟΓΜΑΤΙΣΥΝΚΛΗΤΟΥΑΝΕΤΕΘΗΕΠΙΓΡΑΦΗΝΑΙΕΨΗΦΙΣΑ
ΤΟ ΟΤΕΕΓΡΑΦΟΝΤΑΥΤΑΗΓΟΝΕΤΟΣΕΒΔΟΜΗΚΟΣΤΟΝ
ΕΚΤΟΝ
ΣΥΝΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣΗΡΙΘΜΗΜΕΝΟΥΧΡΗΜΑΤΟΣΕΙΣΤΟΑΙΡΑ
ΡΙΟΝΗΕΙΣΤΟΝΔΗΜΟΝΤΩΝΡ . . . . . ΝΗΕΙΣΤΟΥΣΑΠΟΛΕ
ΛΥΜΕΝΟΥΣΣΤΡΑΤΙΩΤΑΣΕΞΜΥΡΙΑΔΕΣΜΥΡΙΑΔΩΝ
ΕΡΓΑΚΑΙΝΑΕΓΕΝΕΤΟΥΠΑΤΟΥΝΑΟ . ΜΕΝΑΡΕΩΣΔΙΟΣ
ΒΡΟΝΤΗΣΙΟΥΚΑΙΤΡΟΠΑΙΟΦΕΡΟΥ . . ΙΑΝΟΣΑΠΟΛΛΩ
ΝΟΣΘΕΟΥΙΟΥΛΙΟΥΚΥΡΕΙΝΟΥΑ . . . ΝΑΣΗΡΑΣΒΑΣΙΛΙ
ΔΟΣΔΙΟΣΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥΗΡΩ . . . . ΑΤΡΙΩΝΝΕ
ΟΤΗΤΟΣΜΗΤΡΟΣΘΕΩΝ . . . . . . ΣΥΝΧΑLΚΙ

## Col. VIII.

ΔΙΚΩΙΑΓΟΡΑΙΣΕΒΑΣΤΗΙΘΕΑΤΡΟΝΜΑΡΚΕΛΛ . . . . . .
ΛΙΚΗΙΟΥΛΙΛΑΛΣΟΣΚΑΙΣΑΡΩΝΣΤΟΑΙΕΝΠΑΛΛ . . . . .
ΣΤΟΑΕΝΙΠΠΟΔΡΟΜΩΙΦΛΑΜΙΝΙΩΙΕΠΕΣΚΗ . . . . . . .
ΠΙΤΩΛΙΟΝΝΑΟΙΟΓΔΩΗΚΟΝΤΑΔΥΟΘΕ . . ΝΠΟ . .
ΠΗΙΟΥΟΔΟΣΦΛΑΜΙΝΙΑΑΓΩΓΟΙΥΔΑΤΩΝ . . . ΑΝΑ . .
ΕΙΣΘΕΑΣΚΑΙΜΟΝΟΜΑΧΟΥΣΚΑΙΑΘΛΗΤΛ . . . . ΝΑΥΜΑ
ΧΙΑΝΚΑΙΘΗΡΟΜΑΧΙΑΝΔΩΡΕΑΙΙ . . ΑΠΟΙΚΙΑΙΣΠΟΛΕΣΙΝ
ΕΝΙΤΑΛΙΑΙΠΟΛΕΣΙΝΕΝΕΠΑΡΧΕΙ . . ΣΣΕΙΣΜΩΙΚΑΙΕΝΠΥ
ΡΙΣΜΟΙΣΠΕΠΟΝΗΚΥΙΑΙΣΗΚΑΤΑΝΔΡΑΦΙΛΟΙΣΚ . . ΣΥΝ
ΚΛΗΤΙΚΟΙΣΩΝΤΑΣΤΕΙΜΗΣΕΙΣΠΡΟΣΕΞΕΠΛΗΡΩΣΕΝΑ
ΠΕΙΡΟΝΠΛΗΘΟΣ

quae integra sunt apud Hamiltonum col. IV. V. De his Pocockianis disseruerunt Ste-Croix Magaz. encyclop. 1795. T. IV. p. 92 sqq. (conf. Hist. de l'Acad. des Inscr. cet. T. XLVII. p. 85 sqq.) et posthac Oberlinus ad Tacitum T. II. P. II. p. 850.

Hamiltoni apographum (Research. in Asia minor T. II. n. 102.) vide in tabula inserta VIII. In repraesentando hoc apographo nihil mutavimus nisi col. V. vs. 7. ex Pocockio dedimus ΠΑΝΝΟΝΙΩΝ pro ΠΑΝΝΩΝΙΩΝ, et vs. 13. ex eodem ΚΑΤΕΚΟΠΗ pro ΚΑΤΚΟΠΗ. Sunt columnae octo, quarum unaquaeque quinos denos vel senos denos versus Latini exemplaris exponit. Initium col. I. fere est initium exemplaris Latini tab. IV. sive tab. I. a dextra. Perierunt igitur columnae fere septem, quibus continebantur tabulae monumenti Ancyrani I. II. III. Perierunt autem etiam aliae duae columnae inter col. II. et III. complectentes finem tabulae Latinae IV. inde a vs. 31. et initium tabulae V. usque ad vs. 8. Quippe ea pars muri, in qua columnae istae perscriptae sunt, videtur aedificiis obstructa esse, sicut maior pars columnarum I. II. III. etiamnunc latet. Id ut coniiciamus, facit aequalitas reliquarum columnarum. Neque enim verisimile, col. II. contineri tantum quantum columnae tres capiant. Quodsi ita est, etiam quae supra scripta sunt maioribus litteris paululum turbata videntur. Supra scripta autem fuerunt fere haec:

*Ἔργων καὶ δαπανῶν θεοῦ Σεβαστοῦ, ὧν ἀπόδειξιν κατ]έλιπεν, ἐ[κ τῶ]ν ἐπὶ [Ῥ]ώ[μ]ης ἐνκεχαρα[γμένων] χαλκαῖς στήλαις δυσὶ [ἑρμηνεία.*

quae interpretatio paulo liberior est tituli exemplari Latino inscripti.

Col. I. - - *εως ἔδωκα. [ἐποίησα τὸ βουλευτήριον καὶ τὸ πλησίον αὐτῷ Χαλκιδικὸν [καὶ ναὸν Ἀπόλλωνος ἐν Παλατίῳ σὺν στοαῖς, [ναὸν θεοῦ Ἰουλίου, Πανὸς ἱερόν, στοὰν πρὸς ἱπ[ποδρόμῳ τῷ προσαγορευο[μ]ένῳ Φλαμινίῳ, ἣν [συνεχώρησα κεκλῆσθαι ἐξ] ὀνόματος ἐκ[ε]ίνου Ὀκτα[ουΐου τοῦ τὴν προτέραν ποιήσαντος, ἱερὰν κλίνην] πρὸς τῷ [μεγάλῳ [ἱπποδρόμῳ, ναοὺς ἐν Καπιτωλίῳ Διὸς τροπαιοφόρου καὶ Διὸς Βροντησίου, ναὸν Κυρείνου, ναοὺς Ἀθηνᾶς καὶ Ἥρας Βασιλίδος καὶ Διὸς Ἐλευθερίου ἐν Ἀβεντίνῳ, ναὸν ἡρώων ἐν ἄκρᾳ τῇ ἱερᾷ ὁδῷ, ναὸν θεῶν πατρίων ἐν Οὐε-*

λίᾳ, ναὸν Νεότητος, ναὸν Μητρὸς θεῶν ἐν Παλατίῳ.

Ἐπεσκεύασα τὸ Καπιτώλιον καὶ τὸ θέατρον Πομπηΐου πολυτελῶς ἄνευ ἐπιγραφῆς τοῦ ὀνόματός μου, καὶ ἀγωγοὺς ὑδάτων πολλαχοῦ ὑπὸ ἀρχαιότητος διαφθαρέντας· τά τε Μάρκια ὀνομαζόμενα ὕδατα ἐδιπλασίασα πηγὴν ἄλλην εἰς τὸν ἀγωγὸν αὐτῶν ἐποχετεύσας. ἀγορὰν Ἰουλίαν καὶ βασιλικὴν τὴν μεταξὺ τοῦ ναοῦ Κάστορος καὶ τοῦ ναοῦ Κρόνου, ἀρξαμένου τοῦ πατρός μου, ἐτελείωσα, καὶ τὴν αὐτὴν βασιλικὴν ἐμπρησμῷ πεπονηκυῖαν εὐρυνομένου τοῦ ἐδάφους μετ᾽ ἐπι]-
Col. II. γ[ρ]αφῆς ὀνόματος τῶν ἐμῶν [υ]ἱῶν [ἠρξάμην ἀνοικοδομεῖν, καὶ εἰ μὴ αὐτὸς τετελειώ[κοιμι, ἐκέλευσα ὑπὸ τῶν ἐμῶν κληρονόμων [τελειωθῆναι. δύο καὶ ὀγδοήκοντα ναοὺς ἐν τῇ [π]ό[λει ὑπατεύων τὸ ϛ̄ δόγματι σ[υ]νκλήτου ἐπεσκεύ[ασα, - - - -

- - - - - - - - - -

- - - - - - - - - -

[Ἐν ἰδιωτικῷ ἐδάφει Ἄρεως Ἀμύντορος ναὸν ἀγοράν τε Σεβαστὴν ἐποίησα· θέατρον πρὸς τῷ Ἀπόλλωνος ναῷ ἐπὶ ἐδάφους ἐκ πολλοῦ μέρους ἀγορασθέντος ἀνέστησα ἐπὶ ὀνόματι Μαρκέλλου τοῦ γαμβροῦ μου. ἀναθέματα ἐκ λαφύρων ἐν Καπιτωλίῳ καὶ ἐν ναῷ θεοῦ Ἰουλίου καὶ ἐν ναῷ Ἀπόλλωνος καὶ Ἑστίας καὶ Ἄρεως Ἀμύντορος ἀφιέρωσα, ἃ ἐμοὶ κατέστη ὡς δισχιλίων πεντακοσίων μυριάδων. χρυσοῦ στεφανικοῦ τρεῖς μυριάδας καὶ ἡμίσειαν σταθμόν, τῶν ἰσοπολιτίδων πόλεων καὶ τῶν ἀποικιῶν ἐν Ἰταλίᾳ συμβαλλομένων εἰς τοὺς θριάμβους μου, ὑπατεύων τὸ ε̄ ἀφῆκα· καὶ ὕστερον ὁπότε Αὐτοκράτωρ προσαγορευοίμην, χρυσίον στεφανικὸν οὐκ ἐδεξάμην ψηφισαμένων τῶν ἰσοπολιτίδων πόλεων καὶ τῶν ἀποικιῶν τῆς Ἰταλίας, καθάπερ καὶ πρότερον ἦσαν ἐψηφισμέναι] cet.

* * *

Col. III. Πασῶν τῶν ἐπαρχειῶν τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαί]ων, ἃς ὅμορα ἔθνη περιῴκουν μήπω ὑποτεταγμένα] τῇ ἡμετέρᾳ ἡγεμονίᾳ, τὰ ὅρια προήγαγον.] Γαλατίας καὶ Ἱσπανίας ἐπαρχείας διατεινούσας, κ]αθὼς Ὠκεανὸς προςβάλλει, ἀπὸ Γαδείρων μέχρι τοῦ] στόματος ποταμοῦ τοῦ προσαγορευομένου] Ἄλπης, ἀπό [τε τῆς χώρας τῆς ἐχομένης τοῦ Εἰονίου κόλπ]ου μέχρι Τυρρηνικοῦ καλουμένου πελάγους, εὖ διέθη]κα οὐδεμιᾷ βίᾳ χρώμενος πρὸς οὐδὲν τῶν ἐθνῶν. Ὁ] στόλο[ς τῶν Ῥωμαίων ἀπὸ τοῦ στόματος τοῦ Ῥή]νου ὡς πρὸς τὰς ἀνατολὰς μέχρι τῶν ἐσχάτων ἔπ]λευσεν, οὗ οὔτε κατὰ γῆν οὔτε ναυσὶ Ῥωμ]αίων τι[ς] προῆλθε πώποτε πρὸ τούτου τοῦ χρόνου. Κίμ]βροι καὶ Χα[ρ]οῦδες καὶ Σέμνωνες καὶ ἄλλα ἔθνη τῶν] Γερμανῶν διὰ πρέσβεων φιλίαν ἐμὴν καὶ] δήμου Ῥωμαίων ἠξίωσαν. ὑπ' ἐμοῦ καὶ ἐμοῖς οἰω]νοῖς αἰσίοις δύο στρατεύματα εἰς Αἰθιοπίαν καὶ] Ἀραβίαν ἐστάλησαν σχεδὸν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν] - - πο - - - - - - - άξει καὶ - - - - - - - καὶ προ- - - - -

Col. IV. Αἴγυπτον δήμου [Ῥ]ωμαίων ἡγεμονίᾳ προςέθηκα. Ἀρμενίαν τὴν μείζονα ἀναιρεθέντος τοῦ βασιλέως [Ἀρταξία] δυνάμενος ἐπαρχ[ε]ίαν ποιῆσαι μᾶλλον ἐβουλήθην κατὰ τὰ πάτ[ρ]ια ἡμῶν ἔθη βασιλείαν Τιγράνῃ Ἀρτ[αου]άσδου υἱῷ, υἱωνῷ δὲ Τιγράνου βασιλέως δ[οῦναι] διὰ Τιβερίου [Ν]έρωνος, ὃς τότ' ἐμοῦ προγονὸς ἦν· καὶ τὸ αὐτὸ [ἔθ]νος ἀφιστάμενον καὶ ἀναπολεμοῦν δαμασθὲν ὑπὸ Γαΐου τοῦ υἱοῦ μου βασιλεῖ Ἀριοβαρζάνει, βασιλέως Μήδων Ἀρταβάζου υἱῷ, παρέδωκα καὶ μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἀρταουά[σ]δῃ· οὗ ἀναιρεθέντος Τιγράνην, ὃς ἦν ἐκ γένους Ἀρμενίου βασιλικοῦ, εἰς τὴν βασιλείαν ἔπεμψα. ἐπαρχείας ἁπάσας, ὅσαι πέραν τοῦ Εἰονίου κόλπου διατείνουσι πρὸς ἀνα-

τολὰς καὶ Κυρήνην ἐκ μείζονος μέρους ὑπὸ βασιλέων κατεσχημένας καὶ ἔμπροσθεν Σικελίαν καὶ Σαρδὼ προκατειλημ[μ]ένας πολέμῳ δουλικῷ ἀνέλαβον.

Ἀποικίας ἐν Λιβύῃ, Σικελίᾳ, Μακεδ[ο]νίᾳ, ἐν ἑκατέρᾳ τε Ἱσπανίᾳ, Ἀχαΐᾳ, Ἀσίᾳ, Συρίᾳ, Γαλατίᾳ τῇ περὶ Νάρβωνα, Πισιδίᾳ, στρατιωτῶν κατήγαγον. Ἰταλία δὲ εἴκοσι ὀκτὼ ἀποικίας ἔχει ὑπ' ἐμοῦ καταχθείσας, αἳ ἐμοῦ περιόντος [πλ]η[θ]ύ[νουσ]αι ἐτύνχανον.

Σημέας στρατιωτικὰς [πολλὰς ὑπ]ὸ ἄλλων ἡγεμόνων ἀποβεβλημέν[ας νικήσας τοὺ]ς πολεμ[ί]ους Col. V. ἀπέλαβον, ἐξ Ἱσπανίας καὶ Γαλατίας καὶ παρὰ Δαλματῶν. Πάρθους τριῶν στρατευμάτων Ῥωμαίων σκῦλα καὶ σημέας ἀποδοῦναι ἐμοὶ ἱκέτας τε φιλίαν δήμου Ῥωμαίων ἀξιῶσαι ἠνάγκασα. ταύτας δὲ τὰς σημέας ἐν τῷ Ἄρεως τοῦ Ἀμύντορος ναοῦ ἀδύτῳ ἀπεθέμην.

Παννονίων ἔθνη, οἷς πρὸ ἐμοῦ ἡγεμόνος στράτευμα Ῥωμαίων οὐκ ἤγγισεν, ἡσσηθέντα ὑπὸ Τιβερίου Νέρωνος, ὃς τότ' ἐμοῦ ἦν πρόγονος καὶ πρεσβευτής, ἡγεμονίᾳ δήμου Ῥωμαίων ὑπέταξα· τά τε Ἰλλυρικοῦ ὅρια μέχρι Ἴστρου ποταμοῦ προήγαγον· οὗ ἐπίταδε Δάκων διαβᾶσα πολλὴ δύναμις ἐμοῖς [αἰσίοι]ς οἰωνοῖς κατεκόπη καὶ ὕστερον μεταχθὲν τὸ ἐμὸν στράτευμα πέραν Ἴστρου τὰ Δάκων ἔθνη προστάγματα δήμου Ῥωμαίων ὑπομένειν ἠνάγκασεν.

Πρὸς ἐμὲ ἐξ Ἰνδίας βασιλέων πρεσβεῖαι πολλάκις ἀπεσ[τά]λησαν, οὐδέποτε πρὸ τούτου [τοῦ] χρόνου ὀφθεῖσαι παρὰ Ῥωμαίων ἡγεμόνι. τὴν ἡμετέραν φιλίαν ἠξίωσαν διὰ πρέσβεων Βαστάρναι καὶ Σκύθαι καὶ Σαρματῶν οἱ ἐπίταδε ὄντες τοῦ Τανάϊδος ποταμοῦ καὶ οἱ πέραν δὲ βασιλεῖς καὶ Ἀλβανῶν δὲ καὶ Ἰβήρων καὶ Μήδων βασιλε[ῖ]ς.

Πρὸς ἐμὲ ἱκέται κατέφυγον βασιλεῖς Πάρθων μὲν Τειριδάτης καὶ μετέπειτα Φραάτης βασιλέως Col. VI. Φρα[άτου υἱός, Μήδων δ]ὲ Ἀρτα[ουάσδ]ης, [βασιλέως Ἀριοβαρ-

ζά]ν[ους υἱός, βασιλεῖς Βρεταν]νῶν Δ[ά]μ[νων] Ο[ὐε]λλαῦνός [τε καὶ Τ[ιμ - - - Κίμ]βρ[ω]ν [Μ]αίλων, Μαρκομά[νων Σουήβων - - - πρὸ]ς ἐμὲ [β]ασ[ιλ]ε[ὺ]ς Πάρθων Φρα[άτης] υἱὸ[ς Ὠρώδου τ]οὺς [υἱοὺς αὑτοῦ ἐκγόνους τε πάντας ἔπεμψ[εν] εἰς Ἰταλίαν ο[ὐ πο]λέμῳ νι]κηθείς, ἀλλὰ τὴν ἡμ[ετ]έραν φιλίαν ἀξιῶν ἐπὶ τέκνων ἐνεχύροις. πλεῖστά τε ἄλλα ἔθνη πεῖραν ἔ[λαβεν δήμου Ῥωμαίων πίστεως ἐπ' ἐμοῦ ἡγεμόν[ο]ς, οἷς τὸ πρὶν οὐδεμία ἦν πρὸς δῆμον Ῥωμαίων πρεσβειῶν καὶ φιλίας κοινωνία.

Παρ' ἐμοῦ ἔθνη Πάρθων καὶ Μήδων διὰ πρέσβεων [τῶ]ν παρ' αὐτοῖς πρώτων βασιλεῖς αἰτησάμενοι ἔλαβ[ον· Πάρθοι Οὐονώνην, βασιλέως Φράτου υἱόν, βασιλ[έως Ὠρώδου υἱωνόν, Μῆδοι Ἀριοβαρζάνην, β[ασιλ]έω[ς Ἀρταβάζου υἱόν, βασιλέως Ἀριοβαρζάν[ους υἱω]νόν.

Ἐν ὑπατείᾳ ἕκτῃ καὶ ἑ[β]δ[ό]μῃ μ[ου τ]οὺς ἐνφυλί]ους [σ]βέσ[ας πολέμ]ους [κα]τὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐμῶν πολε[ιτ]ῶν ἐνκ[ρατ]ὴς γενόμενος πάντων τῶν πραγμάτων ἐκ τῆς ἐμῆς [ἐξ]ουσίας εἰς τὴν τῆς συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων μετήνεγκα κυρ[εί]αν· [ἐξ] ἧς αἰτίας δόγματι συνκλήτου Σεβαστὸς προ[σηγορεύθη]ν καὶ δάφναις δημοσίᾳ τὰ πρόπυλά μου ἐστέφθη.] ὅ τε δρύϊνος στέφανος ὁ διδόμενος

Col. VII. ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολειτῶν ὑπερ[άνω] τοῦ πυλῶνος τῆς ἐμῆς οἰκίας ἀνετέθη. ὅ[πλ]ον τε χρυσοῦν ἐν τῷ βο[υλ]ευτηρίῳ ἀνατε[θὲ]ν ὑπό τε τῆς συνκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥω[μαί]ων διὰ τῆς ἐπιγραφῆς ἀρετὴν καὶ ἐπείκειαν καὶ [δι]καιοσύνην καὶ εὐσέβειαν ἐμ[ο]ὶ μαρτυρεῖ, [ὡς] ἀξιώ[μα]τι πάντων διήνεγκα, ἐξουσίας δὲ οὐδέν τι πλεῖον ἔσχον τῶν συναρξάντων μοι.

Τρισκαιδεκάτην ὑπατείαν ἄγοντός μου ἥ τε σύνκλητος καὶ τὸ ἱππικὸν τάγμα ὅ τε σύνπας δῆμος [τ]ῶν Ῥωμαίων προσηγόρευσέ με πατέρα πατρίδος, καὶ τοῦτο ἐπὶ τοῦ προπύλου τῆς οἰκίας μου καὶ ἐν τῷ βουλευτη-

ρίῳ καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ Σεβαστῇ ὑπὸ τῷ ἅρματι, [ὅ] μο[ι δόγματι συνκλήτου ἀνετέθη, ἐπιγραφῆναι ἐψηφίσατο. ὅτε ἔγραφον ταῦτα, ἦγον ἔτος ἑβδομηκοστὸν ἕκτον.

Συνκεφαλαίωσις ἠριθμημένου χρήματος εἰς τὸ αἰράριον ἢ εἰς τὸν δῆμον τῶν Ῥ[ωμαίω]ν ἢ εἰς τοὺς ἀπολελυμένους στρατιώτας ἓξ μυριάδες μυριάδων.

Ἔργα καινὰ ἐγένετο ὑπ' α[ὐ]τοῦ ναο[ὶ] μὲν Ἄρεως, Διὸς Βροντησίου καὶ τροπαιοφ[ό]ρου, [Π]ανός, Ἀπόλλωνος, θεοῦ Ἰουλίου, Κυρείνου, Ἀ[θη]νᾶς, Ἥρας βασιλίδος, Διὸς Ἐλευθερίου, ἡρώ[ων, θεῶν π]ατρίων, Νεότητος, Μητρὸς θεῶν, [βουλευτήριον] σὺν Χα[λ]κι-
Col. VIII. δικῷ, ἀγορὰ Σεβαστή, θέατρον Μαρκέλλ[ου, βασιλικὴ Ἰουλί[α], ἄλσος Καισάρων, στοαὶ ἐν Παλ[ατίῳ; στοὰ ἐν ἱπποδρόμῳ Φλαμινίῳ. ἐπεσκ[ευάσθη τὸ Καπιτώλιον, ναοὶ ὀγδ[ο]ήκοντα δύο, θέ[ατρο]ν Πο[μπηΐου, ὁδὸς Φλαμινία, ἀγωγοὶ ὑδάτω[ν. δαπ]άνα[ι εἰς θέας καὶ μονομάχους καὶ ἀθλητ[ὰς καὶ] ναυμαχίαν καὶ θηρομαχίαν· δωρεαὶ [ταῖς] ἀποικίαις, πόλεσιν ἐν Ἰταλίᾳ, πόλεσιν ἐν ἐπαρχεί[αι]ς σεισμῷ καὶ ἐνπυρισμοῖς πεπονηκυίαις, ἢ κατ' ἄνδρα φίλοις κ[αὶ] συνκλητικοῖς, ὧν τὰς τειμήσεις προσεξεπλήρωσεν, ἄπειρον πλῆθος.

Col. I. Argumentum huius columnae constituunt exemplaris Latini tab. IV. vss. 1-15. Ibid. tab. III extr. ultima vox fuit DEDI, quod docet verbum ἔδωκα, quo incipit haec columna. Hinc interpres Graecus h. l. non observavit novam periodum. Quodsi in Latino recte explevimus PR]O.FRV[MENTO, coniicias litteras superstites ΕΞΕΩΣ esse pro extremis syllabis vocis ΣΙΤΗΣΕΩΣ accipiendas, ut sit ὑπὲρ σιτήσ]εως. Vss. 5. 6. Egger l. c. dedit: ἣν [Ὀκταουΐαν καλεῖσθαι ἀπ'] ὀνόματος ἐκείνου Ὀκτα[ουΐου τοῦ τὴν προτέραν ποιήσαντος συνεχώρησα - -. Reliqua explevimus ex exemplari Latino in subsidium vocato epilogo col. VII. VIII.

Col. II. continet exemplaris Latini tab. IV. vs. 15-30. ubi vs. 17 extr. et vs. 18 init. expleri potest ad verba Graeca δόγμα]τι σ[υ]νκλήτου: EX.DECRETO.SEN]ATVS. Hac in columna quae sequuntur post vs. 7

usque ad vs. 15 dedi ex interpretatione Apolloniae servata col. V. Reliqua huius columnae transtuli ex exemplari Latino. Post hanc columnam duae columnae desunt, quibus continebantur Latini exemplaris tab. IV. vss. 31-54 et tab. V. vs. 1-8.

Col. III. respondet Latini exemplaris tab. V. vss. 9-23. Initio Egger l. c. legit: *πασων ἐπαρχειῶν τῶν προκαθεστηκυι]ῶν, ἃς ὅμορα [ἔθνη περιῴκουν μηκέτι τῇ ἀρχῇ] τῇ ἡμετέρᾳ [ὑποτεταγμένα* cet. Extrema etiam in Latino exemplari mutila sunt. Vs. 4. olim dedi *καὶ τὰς ἐπαρχείας πάσας κ]αθ᾽ [ἃ]ς Ὠκεανὸς ἐστιν.* Sed *καθὼς* videtur h. l. esse i. q. *καθ᾽ ὅσον.* Certe de alia forma reconditiore cogitare vix tutum. Vs. 6. *Ἄλπην* agnovit etiam Egger Albin esse, restituta lectione fere in eandem sententiam, ut nos fecimus. Idem vs. 8 sqq. ita dedit: .... *ἄδι]κα? οὐδεμι[ᾶς ἐπιβουλῆς ἀρξάμενος ὁ Δροῦσος ἡμετέρου] στόλου [ἡγεμὼν . . . ἀπὸ στόματος τοῦ Ῥή]νου ὡς πρὸς [τὰς ἀνατολὰς* cet.

Col. IV. complectitur Latini exemplaris tab. V. vss. 24-39. quos licuit restituere ex Graecis. Vs. 3 nomen regis *Ἀρταξία* omissum ab interprete Graeco addidi ex exemplari Latino. Vs. 6 dictio *ὃς τότ᾽ ἐμοῦ ἦν προγονὸς* redit col. V. vs. 9. Vox *προγονὸς* eadem significatione habetur in fragmento Isaei p. 356. Reisk. et ap. Lucian. de calumn. p. 26. hodieque servatur apud Graecos. Vs. 23 *σημέας* scriptum pro *σημαίας*, ut infra. Vs. 24 *νικήσας τοὺς πολεμίους* dedit etiam Egger l. c.

Col. V. respondet Latini exemplaris tab. V. vss. 39-54. quos versus licuit restituere ex Graecis. Lacunam vs. 1 cave cum Schweighäusero apud Oberlin. explendam putes. Vs. 9 de voce *προγονὸς* conf. ad col. IV. Recte igitur in exemplari Latino l. c. editum est a Gronovio TI NERONEM QVI TVM ERAT PRIVIGNVS MEVS, frustra renitente Chishullo. Constat Tiberium a. 745. subegisse Pannonios (conf. Dio Cass. LIV. p. 761. Reim.), adoptatum esse ab Augusto a. 757. mortuis Gaio et Lucio Caesaribus (vide Tacit. Annal. I, 3. Vell. Pat. II, 103). Adoptatum Tiberium denuo in Germaniam misit Augustus mox per triennium rebellantes Pannonios coerciturum; quod Chishullus videtur cum priore expeditione confudisse. Conf. Eckhel. D. N. T. VI. p. 183. 184. Coniecturas Oberlini et Schweighäuseri iam nihil attinet commemorare.

Col. VI. exponit Latini exemplaris tab. VI. vs. 1-17. quos versus licuit restituere ex Graecis. Mirum quod *Arta* - - etiam in Latino exemplari

residuum est nominis regis Medorum. Sequuntur reges Britannorum ni fallor tres, quorum primus Damno vel Domno, alter Bellaunus appellari videtur; ad haec nomina certe deducunt litterae superstites in exemplari Latino et in interpretatione Graeca. Tertii nomen mutilum est in utroque exemplo. Cuius populi rex sit Maelo, dubitari potest. In Latino superest terminatio ORVM, in Graeco BPON, quae litterae deducunt ad vocem KIM]BP[Ω]N. Marcomanorum regis nomen non expressum videtur. Conf. Zumpt. ad h. l. Vss. 3. 4 extr. quae puncta notavit Hamiltonus, ea nihili videntur esse. Vss. 17. 18 Egger l. c. legit: *ἐν ὑπατείᾳ ἕκτῃ καὶ ἑβδόμῃ πολέμους ἐνφυλίους σβέσας εὐθὺς κατὰ τὰς εὐχὰς τῶν ἐμῶν πολειτῶν* cet. Non male, sed articulo ad *πολέμους* aegre caremus.

Col. VII. reddit exemplaris Latini tab. VI. vss. 18-34. quos versus restituimus ex Graecis. Vs. 16 incipit epilogus, qui continuatur col. VIII. ubi vs. 1 ΑΓΟΡΑΙΣΕΒΑΣΤΗΙ scriptum est pro ΑΓΟΡΑΣΕΒΑΣΤΗ, ut col. IV. vss. 16. 17 ΣΑΡΔΩΙ pro ΣΑΡΔΩ; quippe moris erat quadratariis Romanae aetatis, vocalibus praesertim Η et Ω, quibus terminantur vocabula, Iota mutum addere; cuius rei exempla plurima licet congerere inprimis ex inscriptionibus Graecis in Aegypto repertis.

# INDEX HISTORICVS.

# CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 30. vs. 30. Cum in his non certa modo, sed probabilia etiam sequamur, non committendum videtur esse, ut exitum tabulae primae prorsus silentio praetereamus, cuius cum ex parte certe supersit interpretatio Graeca, plura possunt cognosci, quam Franzius in explicatione interpretationis Graecae significavit et ipse in commentario p. 46 dixi. Nam ubi Graece supersunt ....*της τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρο* ...., satis aperte cognoscitur *ἐπιμελητὴς τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρόπων*, ut Augustus appellatur a Dion. LIV, 30 *ἐπιμελητής τε καὶ ἐπανορθωτὴς τῶν τρόπων*, et rursus LIV, 10 *ἐπιμελητής τε τῶν τρόπων ἐς πέντε ἔτη παρακληθεὶς διεχειροτονήθη*. Dicitur igitur h. l. Augustus *praefectus legum et morum* fuisse. Sed verba ipsa adeo incerta sunt, ut explere ea vix audeam. Atque adeo de ipso hoc munere Augusti parum accurate ab auctoribus traditum est. Breviter Sueton. in Aug. c. 27 *Recepit et morum legumque regimen aeque perpetuum, quo iure, quamquam sine censurae honore, censum tamen populi ter egit.* Atque censuram ipsam defugisse Augustum, quia ex vetere instituto nemo simul duos honores gerere poterat, narrat etiam Dio LIV, 2, qui a. 22 a. Chr. (732 urb.), cum flagitaretur ab eo, ut censurae honorem reciperet, duos alios censores factos esse scribit. Idem Dio LIV, 10 narrat anno 19 a. Chr. (735 urb.) Augustum praefectum morum in quinquennium factum esse eidemque in totidem annos censoriam potestatem delatam esse, et rursus LIV, 30, anno 12 a. Chr. (742 urb.) in alterum quinquennium factum esse praefectum morum. Iam cum annus hic, unde alterum quinquennium praefecturae morum coepisse Dio narrat, fere conveniat cum Paullo Fabio Maximo Q. Tuberone consulibus anni 11 a. Chr. (743 urb.), de quibus interpres Graecus h. l. scribit, Dio paululum confusis rebus annum priorem pro posteriore videtur nominasse. Atque si anno 11 a. Chr. (743 urb.) tertium praefecturam morum Augusto delatam esse statuemus, sequetur, ut iterum id acciderit C. Sentio Q. Lucretio cos. anno 19 a. Chr. (735 urb.), primum in sexto Augusti consulatu. Etenim cum Suetonius scribat tres census ab Augusto ex iure morum legumque regiminis actos esse, de altero tantum ab Dione traditur, in primo eius rei

mentionem intercidisse existimabimus. Post exactum illud tertium praefecturae morum quinquennium i. e. post annum 7 a. Chr. (747 urb.) quando Augusto perpetua potestas censoria delata sit, nescitur; mentio eius apud Dionem eo loco, quo magna illa lacuna est, periit. Quae cum ita sint, vs. 31 sic cum probabilitate aliqua expleri poterit:

. . . . . . . *In consulatu sexto et C. Sentio et Q. Lucretio Cos. et tertium Paullo Fabio Maximo et Q. Tuberone Cos. a senatu populoque Romano in quinquennium praefectus legum et morum creatus sum* . . . . . . .

Quae reliqua fuerunt in hac tabula, explere non audeo, quamquam de censura ipsa Augusto oblata nec accepta dici videtur.

Pag. 31. vs. 43. extr. lege: esse [censuit.
» » » 7. lege: [H]S, itemque vs. 10.
» 33. » 12. lege: inmisso.
» » » 18. lege: temp[lum fuisset.
» 36. » 17. lege: su[pe]r[que eas ad.
» » » 20. dele comma post *pietatis*.
» 63. » 3. dele *vere*.
» 82. » 32. lege: Tourneforto itemque si quo alio loco Tournefortius, non Tournefortus nominatur.

Pag. 86. vs. 32. lege: Libisosona.